Google

Digitized by Google

1.4°237 P

VETERVM MONVMENTORVM QVATERNIO.

I. AGII VITA HATHVMODÆ ABBATISSÆ GANDERSHEMENSIS PRIMÆ CVM DIALOGO POETICO DE OBITV EIVSDEM.

II. ELECTIO LOTHARII DVCIS SAXONIÆ IN IMPERATOREM.

III. FRAGMENTVM POEMATII IN LAVDEM HENRICI COMITIS PALATINI AD RHENVM HENRICO LEONE NATI.

IV. VARIA CANTICA IN OTTONES, HENRICVM SANCTVM, CONRADVM II. HENRICVM III. IMPP. ALIOSQVE.

EDIDIT

ET NOTIS ILLVSTRAVIT

IOH. GEORG ECCARD.

LIPSIÆ,
Sumptibus NICOLAI FOERSTERI,
M DCC XX.

VETERVM
MONVMENTORVM
QVATERNIO.

I. AGII VITA HATHUMODÆ ABBATISSÆ GANDERSHEMENSIS PRIMÆ CVM DIALOGO POETICO DE OBITV EIVSDEM.

II. ELECTIO LOTHARII DVCIS SAXONIÆ IN IMPERATOREM.

III. FRAGMENTVM POEMATII IN LAVDEM HENRICI COMITIS PALATINI AD RHENVM HENRICO LEONE NATI.

IV. VARIA CANTICA IN OTTONES, HENRICVM SANCTVM, CONRADVM II. HENRICVM III. IMPP. ALIOSQVE.

EDIDIT

ET NOTIS ILLVSTRAVIT

J. G. E.

LECTORI BENEVOLO.

Monumentorum veterum editionem hiſtoriæ omni lucem hactenus ingentem intuliſſe, nemo eſt, qui non norit. Congesſimus hoc fini & nos non parvum eorum numerum, & magnum ſatis volumen aut plura etiam dare poſſemus, ſi quidem vacaret. Ut jam quatuor hoſce libellos in lucem emittamus, Maxime RR. PP. Pezii in cauſa ſunt, qui primum & ſecundum mecum benevole communicarunt. Et quoniam Vita Hathumodæ præſertim memorabilia non una continet, eam notis illuſtrandam cenſui hiſtoriarum cultoribus forte non ingratis. Specimen in iis dedimus iteratum uſus Linguæ veteris in exponendis medii ævi rebus. Nec Genealogiarum quarundam evolutio & connexio Familiæ Ottonianæ cum Carolina, Stemma Berengarium, & quæ de primis apud Saxones Chriſtianismi initiis, de Epiſcopis Wicberto Hildeshemenſi & Wulfhardo Mindenſi, de Abbatiſſis primis Hervordienſibus, de antiquisſimis Verſionibus Scripturæ ſacræ Theotiſcis ac de Reliquiis Sanctorum quibusdam protuli, diſplicebunt omnino antiquitatis mediæ æſtimatoribus.

Fra-

Fragmentum Poematii veteri ſermone Germanico & Latino ſcripti, ſingulare eſt in ſuo genere, & oſtendit non primum hybridorum hujusmodi carminum authorem eſſe, ut vulgo creditur, Petrum Dresdenſem. Depromptum id eſt ex Codice Bibliothecæ Cantabrigienſis; &, cum ex eodem, dum hæc ſcribebamus, alia quoque Cantica Latina in Imperatores Ottones, Henricum II. Conradum Salicum, Henricum III. & Archiepiſcopos Herigerum Moguntinum & Heribertum Colonienſem in Monaſterio S. Bavonis Gandavenſi olim confecta, reciperemus; nec hæc premere voluimus. Produnt ea nobis genium Poëſeos ſeculi undecimi: & partim in conviviis, partim in Eccleſia publice decantata fuiſſe apparet. Canticum, quod numero hic quintum eſt, jam edidit Piſtorius poſt Wipponis Vitam Conradi Salici; ſed quia in quibusdam ab edito differt, id hic quoque repetere voluimus. Tu, Lector benevole, minutiis hiſce pro lubitu tuo utere & vale.

Digitized by Google

I.

HATHUMODÆ

PRIMÆ ABBATISSÆ

GANDERSHEIMENSIS,

LUDOLPHO DUCE SAXONIÆ

NATÆ

VITA

AUCTORE AGIO

PRESBYTERO ET MONACHO

COÆVO.

ACCEDIT

EJUSDEM AGII DIALOGUS

ELEGIACO VERSU SCRIPTUS,

DE

OBITU HATHUMODÆ.

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGUS AGII
PRESBYTERI IN VITAM SANCTÆ HATHUMODÆ, ABBATISSÆ MONASTERII GANDERSHEIMENSIS.

HOnorabiliter diligendis, & diligibiliter honorandis ſanctiſſimis in Chriſto *Gandesheimenſis monaſterii ſororibus Agius, quamvis indignus gratiâ Chriſti Sacerdos.* Quantùm matri olim noſtræ ſpiritali, quantum veſtræ ſimul charitati debeamus, dicere nequaquam valemus. Dicere enim non poſſumus, vel qualem omnes vos communiter nobis charitatem exhibere conſueveritis; vel qualia, & quanta ab ipſa ſpecialiter beneficia conſecuti fuerimus. Proinde quia hoc ſanctis ejus meritis dignum putamus, quia hoc ſimul vobis gratum fore non dubitamus, vitam ejus breviter, inculto licèt ſermone, tranſcriptam vobis mittere dignum duximus; ut, quia, quod ſummopere optâſtis, jam eam corporaliter intueri & habere non poteſtis, in vita quandam ejus imaginem teneatis, & in exemplis & actibus ejus ipſam vos habere puteтis. Quod nos improbabiliter facturos ſperamus, *quia & vitam ejus magna, ut nôſtis, ex parte noveramus, & dormitioni quoque interfuimus.* Unde lectorem primò omnium monemus; ut noverit, nos non falſa aut dubia de ea eſſe dicturos, ſed vera, & certa, & omnibus ferè, qui eam nôſſe poterant, nota narraturos, neque enim alia ſcribimus, quàm quæ omnes paſſim minores clamant, majores probant. Si quid tamen eſt, quod de ſanctitatis ejus declaratione ad omnium indifferenter notitiam pervenire nequivit; ſororum quæ ei familiariùs adhæſerunt, fidei committendum, & teſtimonio credendum ſuademus; cognita quippe ejus ſanctitas etiam de minùs notis dubitare non permittit. Pauca igitur de ſingulis attingentes, primùm de genere dicendum putamus; ut clareſcat, unde, ad quid venerit, & quanta pro amore divino ſpreverit, contempſerit, dimiſerit; quantò namque plus quisquam pro DEO dimiſerit, tantò majoris meriti apud DEUM erit, tantò majorem mercedem apud Deum percepturus erit.

CAPUT I.

Hathumodæ ampliſſimi Natales. Egregia ejus in pueritia pietatis, & eruditionis ſtudia. Sacrum velamen in Parthenone Herfordenſi ſuſceptum. Tranſitus inde ad Monaſterium Gandersheimenſe, hujusque præfectura Hathumodæ delata, & ſuſcepta. Modus vivendi in Parthen. Gandersheim.

DEnique ut de primoribus ejus taceamus, qui omnes & *ex paterno genere & ex materno clariſſimi fuerunt;* quantæ apud ſeculum nobilitatis ſancta iſta & incomparabilis fœmina fuerit, hinc apparet; quòd *frater ejus Regum neptem in matrimonio habet;* ſoror regi filio, digno digna jugalis conjugi juncta eſt; *cæteri infra patriam,* qui non majori gloriâ Chriſti ſervitio mancipati ſunt, ſecundum natalium dignitatem *honeſtiſſimas nuptias* ſortiti ſunt. *Pater ejus* ex illuſtriſſimo Saxonum genere oriundus, *Dux Orientalium Saxonum* fuit; Mater *ex nobiliſſima æquè Francorum proſapia* deſcendens, in prole nobilior effulſit; ipſa *Hathumod* dicta, ex bono bonarum arborum ſemine flos primùm jucundiſſimus, ſuaviſſimus poſtmodum fructus excrevit. Siquidem natalium, ut diximus, dignitate nobiliſſima mentis ſanctitas nobilior fuit; nam ab ipſa ſtatim pueritia quandam futuræ indolis ſpeciem prætendens, puerilem laſciviam Chriſtiana gravitate mutavit: jocos, & innoxios licèt luſus, hujusmodi ætati familiares, in tenero quamvis corpore maturiori animô ut vanos irriſit, ut ad nihil utiles contempſit, aurum, & apparaturam pretioſam, quæ infantes, utpote pul hra, quanquam innocenter concupiſcant, neque concupivit, neque habere voluit; nam *veſtes aurô paratas, mytras, vittas, diſcriminalia, inaures, lunulas, monilia, armillas, dextraliola, ſtrophia,* & *olfactoriola,* ad quæ vel habenda, vel portanda plurimarum fœminarum inardeſcit ambitio, & ultro ſecundùm parentum facultatem, & dignitatem oblata, ſuſcipere recuſavit; & contra vo-

luntatem ſibi impoſita, anxiè ingemuit, vehementer flevit. Eccleſiis Chriſti, quia quod voluit, jugiter non licuit, vel freqnentiùs intereſſe, & ibi aliquid ſuæ utilitatis audire, & orationi incumbere gaudebat. *Litteras verò, ad quas alii diſcendas verberibus coguntur, ipſa ultroneô ſtudiô appetiit, infatigabunda meditatione addidicit.*

Ab ipſa quippe infantia morum ſecum probitas crevit, & ſimul cum ætatis ſuccremento, & virtutibus ſe ipſa quotidie major effulſit. Nam cum ætatis proceſſu ſapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines proficiens, ſervitium Chriſti pompis mundialibus, cœleſtem ſponſum Chriſtum, terreno ſponſo prætulit; denique *fulgentibus parentum tectis* ancillarum Dei contubernium anteponens, cum parentum voluntate ſacro velamine conſecrata, & *Herfordenſi monaſterio, quod eo tempore in Sanctimonialium nomine famoſiſſimum erat*, ſub regulari diſciplina nutrienda aliquandiu commendata eſt. Quem locum deinceps quanta charitate dilexerit, quantâ reverentiâ dignum judicaverit, non facilè verbis explicare valemus. Nam cùm plerunque cum familiaribus ſuis loquens, ejus loci mentionem feciſſet, felicem ſe fore dicebat, ſi iterum ſub Abbatiſſæ imperio eis intereſſe mereretur; feliciorem, ſi nunquam inde avelleretur. Recordabatur quippe facies & vultus ſingularum, & omnium mores ante oculos revocabat; hujus charitatem, ejus humilitatem laudabat; illam obedientiâ præire, hanc patientiâ præſtare dicebat; in una largitatem, in altera abſtinentiam mirabatur; omnium verò in communi modeſtiam, pietatem atque pudicitiam prædicabat. Ubi dum aliquamdiu, ut diximus, inſtruendi gratiâ commorata bonorum omnium, quantum in ipſa ætate potuit, cunctis exemplum dediſſet; *poſtquam pater & mater de Roma, quò orandi causâ ierant, cum Apoſtolica benedictione regreſſi, & ſancto Petro, familiæquè ſancti Petri cum omnibus ſuis commendati, Sanctorum corpora, Papæ Anaſtaſii, & Innocentii Papæ tranſtulerunt;* denuò revocata *in monaſterio, quod in propria hæreditate fundatum Domino, & eiſdem Sanctis tradiderunt, cum Apoſtolica authoritate, & Epiſcopi ſui benedictione primò paucioribus, deinde pluribus Sororibus eſt mater ſpiritalis & electa, & conſtituta.* Ubi cum conſororibus ſuis quanta poſtmodum corporis caſtitate, quanta mentis vixerit ſanctitate, non eſt noſtræ facultatis evolvere.

Communis omnium vita, communis victus, habitus conſimilis erat, qui tamen mediocris, nec nimium ſcilicet cultus, nec admodum vilis, neque ex integro laneus erat. Quarum nulla cum parentibus, aut quibuslibet hoſpitibus aut manducabat, aut niſi permiſſa loquebatur; nullus cuiquam, quod pleriſque Sanctimonialibus mos eſt, extra monaſterium aut ad parentes, aut poſſeſſiones ſubjectas egreſſus; extra communem refectionis domum vel horam nulla cuiquam manducandi licentia, niſi aliquam infirmitas coegiſſet; uno omnes conſtitutæ in loco ſimul cibum capiebant, ſimul quieſcebant, ſimul ad canonicos curſus orandi horâ conveniebant, ſimul egredientes, quod operandum erat, operabantur. Cellulas intra clauſtrum proprias, aut ſervitrices nulli habere licebat. Extra in villula ideo habitabant, quia necdum eis ex parte matris ſpiritalis veſtimenta propter rerum inſufficientiam dabantur; pauperioribus quæ aliunde habere non poterant, ipſa miniſtravit. A viris tanta ſeparatio erat, ut nec presbyteri quidem, niſi infirmitatis neceſſitas popoſciſſet, clauſtrum earum ingrederentur, aut aliqua rationabilis ſecundùm officii eorum miniſterium cauſa poſtulaviſſet. Hæc ſunt quæ eis ferè communia cum cæteris fuêre.

CAP. II.

Hathumodæ vita communis, modeſtia in ſermone, victu, veſtitu. Studium orationis, benignitas, charitas &c.

SIquidem iſta omnia non ſolùm adimplevit, ſed etiam ſuperauxit. Nam ita communem cum cæteris vitam & victum habebat, ut, cùm carnis eſum certis diebus, & ſtatutis temporibus ipſis non negaret, ſibi non indulgeret; ita conſimilem habitum habebat, ut, cùm à * laneis ad carnem veſtimentis, ſi quæ hoc vellent, alias arceret, ipſa laneum haberet. Porro cum hoſpitibus niſi in Eccleſia non loquebatur, niſi fortè humanitatis gratia cum his refectionis tempore eam eſſe poſtulâſſet. Ad parentes, aut poſſeſſiones ſubjectas nunquam,

* Cod. lineis.

quam, ex quo illuc venit, egreſſa eſt; extra monaſterium non dicam cum viro, ſed cum nullo prorſus comedit; intra monaſterium, licèt hoc liceret, non in alio loco, quàm in communi refectorio manducare conſuevit. Ita cum cæteris ad Eccleſiam horâ orandi conveniebat, ut aut prima, aut inter primas veniret, poſtrema egrederetur; ita cum cæteris in eadem domo dormiebat, ut ad lectum poſtrema veniret, de lecto prima ſurgeret. Servitrices intra monaſterium, ſicut cæteras habere noluit, ſic ipſa non habuit: ſtudebat namque ſancta & Deo dilecta fœmina, ſicut locô excellebat, ita & vitâ præſtare, ſtudebat ſicut nomine, ita & meritis excellere; & idcirco nocturnales cantus prævenire, poſt matutinales hymnos vigilare, & plura hujusmodi alia agere, quæ cæteris ardua, ipſi propter conſuetudinem & nimium in Deum amorem jocunda admodum, & prorſus facilia videbantur. Meminebat quod erat, meminebat quod dicebatur; cogitabat ſe matrem vocatam, cogitabat ſe Abbatiſſæ nomine cenſeri, & ideo prodeſſe magis, quàm præeſſe gaudebat, & amari potiùs quàm timeri cupiebat. Proinde cogitans ſe non tam honorem, quàm onus ſuſcepiſſe, nulli aliquando aliquid interdixit, quod ipſa feciſſet; nulli aliquid præcepit, quod ipſa prius non adimplêſſet; ita ſubjectas ad benè agendum factis potius ſuis & exemplis incitans, quàm diſciplinâ cogens.

Talis erat ore, qualis opere, talis opere, qualis ore; quia quod docuit fecit, & quod fecit docuit. Et quia Divina Scriptura quadrifariè quædam vetat, quædam jubet, quædam concedit, quædam ſuadet; ipſa, in quantum humanæ fragilitati erat poſſibile, vetita nulla commiſit; juſta quæque fecit; ex licitis illicita fecit; ſuaſa majoris mercedis intuitu arripuit. Nam apertè mala, quæ erant prohibita, non ſolùm opere non fecit, ſed etiam mente execrata eſt; apertè bona, quæ erant præcepta, pro viribus adimplere contendit; conceſſa, quæ pro utentium modo vel bona eſſe poſſunt, vel mala, in quibus eſt: ſeculi uſus, conjugii voluptas, carnium eſus, molliorum & cultiorum indumentorum apparatus, majori cautela ſprevit, ſalubriori conſiliô declinavit. Suaſa, quæ ut altiora neque cunctis præcipi, neque à cunctis adimpleri poterant, in quibus eſt: ſeculi abrenunciatio, carnium abſtinentia, molliorum & cultiorum indumentorum contemptus, Virginitatis obſervatio, ardenter arripuit, perſeveranter complevit. Denique molliora indumenta ita contempſit, ut aſperiora quoque non nimis culta haberet; à carnibus ita abſtinuit, ut cum cæteris cibis, & potu neceſſario panem quoque ipſum parciſſimè ſumeret; ſeculo autem non ſolùm exterioribus rebus, ſed etiam in animo intus, & voluntate renunciavit; Virginitatis propoſitum ita cautè ſervavit, ut nullis invidis detrahendi locus daretur.

Nulla in verbis ejus procacitas, nulla incontinentiæ laſcivia fuit. Sermo impudicus, & verbum turpe nunquam ab ejus ore proceſſit. Nullus aliquando rixantem, nullus maledicentem, nullus jurantem, nullus detrahentem, nullus mentientem audivit. Nemo eam iratam, nemo turbulentam, nemo multùm, & inhoneſtè ridentem vidit. Nulli unquam injuriam fecit, nulli calumniam irrogavit, nulli convitium ingeſſit. Unâ omnes ſecundùm qualitates ſingulorum vel dilexit, vel reverentiâ honoravit: Conſororum ſuarum ita vitia inſectata eſt; ut ſummo eas & diligeret, & veneraretur affectu. Unâ erga ſingulas pro meritis diſciplinâ uſa eſt; dilexit naturam, odivit malitiam; dilexit quod Chriſtus fecit, odivit quod diabolus adinvenit. Suarum exceſſus ut proprios flevit; quotiens aliqua fide, aut mente infirmabatur, ipſa ſimul ægrotabat; quotiens aliqua ſcandalizabatur, ipſa urebatur; placido tamen ſemper vultu ſereni animi, etiam inter mœſtas, & res lacrymoſas, ſerenitatem præmonſtrabat. Cæterùm fidem vel in Deum puriorem, vel erga homines meliorem, nullus habere valebat. In amicitiis, non aliis quàm juſtis, concedendis cauta admodum & difficilis videbatur, in conſervandis tenaciſſima erat.

CAP. III.

Ejus in perſcrutandis Divinis Scripturis ſedulitas, & ſolertia, humilitas, patientia, in egenos, ac infirmos liberalitas, hoſpitalitas. Futurus Monaſterii ſtatus viſu nocturno cognitus.

Scripturarum lectioni & ipſa ſedula inſiſtebat, & inſiſtentes ſummopere dilige-

bat; negligentes, quas tamen aliquid proficere poſſe videbat, minori potius familiaritate, quàm diſciplinâ ad has diſcendas cogebat; in his audiendis, legendis, intelligendis majorem cautelam, vivaciorem ſenſum, ſaniorem intellectum habere nullus ferè hoc tempore quivit. Si qua, ut moris eſt, interrogare debebat, tam planè & diſcuſsè cuncta attingebat, ut ipsâ interrogatione ſua docere potiùs, quàm interrogare videretur. Longum eſt, ſi cunctas ejus virtutes ſingulatim vel attingere velimus. Mira ei charitas, ſumma humilitas, maxima patientia, incredibilis liberalitas, incomparabilis pietas erat. Quanta namque charitate vel ipſa cunctas dilexerit, vel ipſa viciſſim ab eis dilecta ſit, teſtantur tot tantorum lacrymæ, in ejus obdormitione effuſæ. Humilitatem verò tantam habuit, ut, cùm eſſet clariſſimo, ut in principio diximus, genere orta, & ſumma apud conſorores locô conſtituta, nulla vel ad inclinandum facilior, vel in verbis humilior, vel in habitu ferè vilior appareret. Quid de Patientia ejus dicam, cùm nullum unquam vel inhoneſta increpatione arguerit, vel etiam convitianti aſperum verbum retulerit? Porro de liberalitate & Pietate dicere aliquid ſupervacuum eſt: cùm omnes ita attendiſſet, ac ſi de propriis viſceribus ipſos genuiſſet: Quis enim unquam inopum, quis Clericorum ab ea vacuus receſſit? Quis non ejus cibis refocillatus, quis non eſt ejus bonis participatus? Nonnunquam ſuis tulit, quod aliis tribuere poſſet; egebat ipſa, ut alii abundarent; eſuriebat, ne pauperes eſurirent; ſitiebat, ne hoſpitibus potus deeſſet; in quibus ſuſcipiendis majorem humilitatem, majorem charitatem, majorem humanitatem nemo poterat exhibere. Illis, ſi perſona talis erat, horâ convivandi aſſidere ſolita, cum illis *de Deo, de cœleſtibus, de Divinis Scripturis tractare, eos aut interrogare aliquid, aut docere*, & ita quicquid humanitatis erat, exhibere; ut curaret, dum corpus exteriùs paſcebatur, ne mens interiùs otioſa remaneret.

Quàm autem ſolicita fuerit erga ægrotantes, ſuperfluum eſt dicere: cùm non ſolùm præſentes mirô modô, & diverſis obſequiis foverit, ſed etiam alienos, & longè poſitos in infirmitate aliqua per nuncios viſitaverit, & quicquid illis gratum in cibis eſſe putaret, miſerit. *Siquidem parvo ante ſuam infirmitatem tempore cùm pleræque ſororum graviter languiſſent*, dici non poteſt, quanta ſolicitudine eas viſitaverit, quantâ eis curâ aſtiterit, quanta ſolicitudine inter ſingularum lectos diſcurrerit, quanta ſuavitate ſingulas allocuta fuerit, quam miris & diverſis obſequiis moleſtiam earum corporalem levigare tentaverit, omnibus, quibus poterat modis, procurans, ne aut neceſſaria miniſteria, aut quicquam eorum, quæ deſiderabant, eis deeſſet; ac ſi jam ſancta & Deo dilecta fœmina ſciret, quantocyus ſe ex hoc ſeculo eſſe migraturam; quod tamen & ex nonnullis Seniorum indiciis non ſolùm ſibi, ſed etiam aliis priùs præmonſtratum eſſe probatur. Fuēre namque ex Sororibus, quæ *Signum* Eccleſiæ maximum cecidiſſe, & confractum eſſe in ſomnis viderint; pleriſque viſum eſt ſarcophagum Sanctorum ruiſſe, & minutatim ſolutum fuiſſe.

Ipſa autem, dum non multo ante infirmitatem ſuam cum quodam familiarium ſuorum loqueretur, inter familiaria, quæ cum eo habebat, colloquia etiam *monaſterii ſui ſtatum tenerrimum* deplorare cœpit; ad quod cùm ille diceret: tenerum quidem eum eſſe, ſed Dei gratiâ bonum: de bonitate Dei eſſe poſitum, poteſtate, & miſericordia reſpondit, ſibi tamen hoc penitus diſplicere, *quòd necdum Regiæ tuitioni commendatus eſſet.* Cumque ille rurſum diceret, hoc Domino volente citiùs emendandum fore, *utrumque & Epiſcopum ſuum illis fidelem, & familiarem eſſe, cujus ſuggeſtione hoc fieri poſſet, & parentes, & alios in Palatio fideles eam habere*, qui ſuam optimè in hoc voluntatem & adjuvare poſſent, & vellent: ſeſe quoque ita credere ait, *ipſam tamen ad hoc, uſquequo fieret, non eſſe victuram;* hoc autem citiùs eſſe futurum; de his omnibus, ut Domino placeret, eſſe debere dixit, ſe tamen mirandis quibuſdam, & ſibi prius inſuetis inſomniis agitari, ipſius ſuper hoc orationem & benedictionem efflagitare. Dicebat enim in ſomniis ſe quandam miræ magnitudinis rotam vidiſſe, cujus palo diverſas animalium figuras inſertas haberent, ſe verò cum pleriſque conſororibus ſuis ad axem ſupra modiolum rotæ intra

radio-

radiolis quaſi quibusdam catenulis eſſe colligatam, ſimulque cum rota, quam fluvius ſubtercurrens mira velocitate circumegerat, circumvolvi, cùmque, ut ſibi videbatur, ſtupida timeret, ne in fluvium ſubtercurrentem deciderer, non in fluvium, quod verebatur, ſed potius in terram contiguam ſe decidiſſe. Quô factô ſe expergefactam fuiſſe, & jam vigilantem, jam ad ſe reverſam, membris tamen omnibus præmortuis, & adhuc tremebundis jacuiſſe.

CAPUT IV.

Tempus mortis, & locus ſepulturæ in ſomno ei oſtenſus. Sanctus Martinus ſingulari cultu ab ea honoratus & ſæpius conſpectus.

QUibus itidem diebus ſæpius ſibi viſum eſſe dicebat, ſe levi volâſſe corpore, & corpore exutam, tamen còrpoream, & ineffabili nobis modo cœleſtibus ſimul & terreſtribus interfuiſſe. Nam proximis illis diebus ſe quaſi in aëre raptam, & omnia monaſterii ædificia detecta vidiſſe, & cuncta, quæ in ſingulis vel erant, vel gerebantur, aperta ſuis oculis, & perſpicua prorſus fuiſſe. Inter hæc ſe in Eccleſia quaſi quendam magnum terræ hiatum vidiſſe; cumque ad hanc viſionem ſummopere doleret, & quomodo hoc eveniſſet, vel quomodo oppleretur, rogitaret, audiſſe ſe vocem dicentem ſibi, debere illum oppleri, quoniam hoc habitaculum ſuum eſſet futurum. Quô dictô audiſſe ſe multitudinem pſallentium, pſalmum centeſimum quadrageſimum dicentem; cumque perventum eſſet ad verſum: *Hæc eſt requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*, & illa, ut ſibi videbatur, ſimul cum eis pſalleret, expergefactam evigilâſſe ſe, & adhuc eundem verſiculum vigilantem in ore habuiſſe. Quæ licèt illa tanquam inſomnia narraret, & ille, cui hæc referebat, ſimiliter interpretaretur, longè tamen ſibi aliud videbatur, atque hoc; quod poſtea rerum exitus docuit, ſtatim veritus eſt. Unde non ſtatim, ne ita eum intellexiſſe ſentiret, ſed poſt modicum eam pro quibusdam, quæ ad meritorum & miſericordiarum ejus augmentum pertinere videbantur, admonendam putavit, & pro his ſibi ſupplicandum dignum duxit; quæ illa ſolita vel erga DEUM devotione, vel erga cunctos benevolentiâ quantùm tunc potuit, conceſſit.

Eodem autem tempore, *cùm & nos ibidem eſſemus, & jam diſcedere vellemus*, nequaquam nos permiſit paululum ſubridendo dicens, incertum nobis eſſe, quanto tempore ea frui, & eam videre permitteremur; ſi citiùs eam decedere contingeret, tunc nos pœnituros fore, ſi tunc contra voluntatem ejus diſcederemus; ſimulque & per ſeipſam, & per pleraſque ſorores ſuas alias multùm nos rogare cœpit; *ut, ſiquidem eam infirmatam audiremus, venire non ſuperſederemus*. Ex quibus omnibus non ſolùm conjicere poſſumus, ſed & liquidò intelligere valemus, dormitionis ſuæ tempus ſibi præmonſtratum fuiſſe; quod quidem & *ex languentium ſororum infirmitate*, quæ ejus ægrotationem præceſſerant, Divina Pietas præmonendum putavit. Igitur cùm inter ægrotantes ſedula diſcurreret, ipſa in infirmitatem cecidit, aliquamdiu tamen infirmitati reluctata vincere eam, vel potius eludere putavit. Tam diu quippe cum cæteris ſororibus in Choro ad curſus, in refectorio ad menſam fuit, donec ambulandi officiô deſtitueretur; priùs tamen, quàm morbo ingraveſcente in lectum decideret, vidit in ſomniis quaſi magnum quendam campum, diverſis florum generibus vernantem, ubi & omnes ferè quæ ex ſororibus ſuis juvenili ætate florebant, ſe vidiſſe conſpicata eſt; cujus pulchritudine & amœnitate cùm admodum delectaretur, ſubitanea ſibi conflagratione inarſiſſe viſus eſt. Tum nimia earum miſeratione clamare cœpit: ut Dominus miſereretur, ut Chriſtus ſuccurreret ne miſeras penitus interire pateretur. Et quia ſanctum Martinum ſemper quadam ſpeciali reverentiâ excolebat, & in maximis verè neceſſitatibus eum invocare ſolebat, ejus meritis & interventu eas ab ignibus eripi ſupplex, ut ſibi videbatur, orare cœpit. Neç mora: quidam ſibi ſplendore & pulchritudine admirabilis aſtitiſſe viſus eſt, qui ejus meritis & interceſſione & ignem ſopiendum, & eas ſalvandas eſſe dixit. Ità expergefacta; cùm poſtea ſomnium pleriſque narraret, *ſanctum Martinum* quaſi ereptorem ſuum ſpeciali deinceps ab eis veneratione & obſequiis celebrandum commendabat.

Ipſum

Ipſum verò ſanctum Martinum conſpicabiliter etiam ſibi vigilanti viſum eſſe indubitanter credere valemus ex ejus ipſius narratione & verbis. Nam cùm quadam die nonnullæ ex ſororibus lectulo illius aſſiderent, ſubitò clamare cœpit, *ſanctum Martinum* adeſſe, & in pavimento deambulare, monere, ſedentes, ut aſſurgerent aſtanti, ut jocundarent deambulanti; fallere eos vel falli, qui eum *deformem, ut in vita ejus legitur*, dixiſſent, nihil ſe unquam tantæ pulchritudinis vidiſſe. Aſtantes verò licèt nihil eorum videre potuiſſent, ex vultu tamen ejus & continentia, verum eſſe, quod dicebat, intelligere valebant. Nam hilerabunda huc, illucque per cellulam faciem vertens, manifeſtum intuentibus indicium dabat, illuc eam oculis ſequi, quò eum quaſi deambulantem in pavimento videbat, & quamvis, poſtquam decubuit, nunquam ſe in aliud latus vertere, nunquam in dextera ſui corporis parte jacere voluerit, tunc ſe ſponte, ſine alicujus adjumento in illud convertit, & ita ſine cujusque moleſtiæ ſigno jacuit eò, quoadusque illa viſio completa eſt; cortinam quoque, quæ parieti appendebat, manibus elevare conata, parietem ſimul amoveri præcepit, ne quod DEI ſancto obſtaculum foret. Proinde, quod ex præcedentibus ſignis non dubium erat, in illa parte, quæ ia meridiana obvenerat, ipſum aſſiſtere, iterum iterumque ad eum contemplandum præſentes cohortari cœpit. Unde patenter intelligi datur, ejus meritis hoc eam contra infirmitatis violentiam potuiſſe, quem ſibi & corporeis oculis conſpicabilem dixit, & verè mentis intuitu vidit.

CAPUT V.

Variæ Hathumodæ viſiones, quarum narrationem aliarum importunitate interumpi ægerrime fert.

EOdem quoque tempore cùm in cellula, quâ jacebat, nullus ſecum, præter *germanas ejus ſorores*, quæ nec momentô temporis ei abeſſe patiebantur, adeſſent, & illa clauſis oculis quaſi dormiens aliquamdiu jacuiſſet, poſt aliquantum temporis, quis ſibi adeſſet, interrogavit; quæ cùm ſe adeſſe dicerent, percontata eſt, ſi aliquid aut vidiſſent, aut audiſſent? Ad hæc cùm illæ ſe nihil eorum, de quibus illam interrogare putarent, vel vidiſſe, vel audiſſe reſponderent: & non auditis, ait, vocem interrogantem: ſi *columba* jam parata ſit? Erat autem *cryſtallus cum reliquiis Sanctorum* lectulo ejus appenſiis, cumque, ſi tamen ritè recordamur, *ſoror* ejus *Chriſtina* diceret: hoc ideo ſibi viſum fuiſſe, ut ligamentum cryſtalli, quod non ſatis accuratè paratum erat, emendaret; hoc ita eſſe poſſe dixit; ea enim & ante febrem, & ipſa maximè febri ſibi conſuetudo erat; ut ſi quando quodcunque hoc, quod loqui intenderat, intercepiſſet, & ad aliud quid invertere conaretur, non in eo inhæreret, ſed ſtatim ita poſſe eſſe reſpondiſſet. Maximè tamen in his hoc ſibi diſplicebat, ſi quando cuicunque aliquid ſecretiùs committere volebat, & ipſe, cujus fidei hoc committendum dignum duxit, aliquem alium intermiſcendum putavit; quod vel ex his, quæ ſequuntur, ſatis oſtendi poteſt.

Quadam die cùm in lectulo jaceret, & *ſoror ejus Gerberga*, quæ ei maximè familiaris erat, lectulo ejus aſſiſteret, quamdam ei ſecreto viſionem, omnibus aliis remotis narraturam eſſe dicebat; neque enim ſe aliquando aliquid tantæ pulchritudinis, tanti ſplendoris, & tantæ ſuavitatis aut vidiſſe, vel audiſſe. Cumque omnibus abſcedentibus ſola cum ſola remanſiſſet, ipſa adjuvante de lecto elevata, ut aurem ori propiùs admoveret, præcepit. Quod cùm illa feciſſet, etiam propiùs, ne quis alius audiret, apponere admonuit; quô factô, cùm ſe jam ad dicendum paraviſſet, pallere, & tremere cœpit. Vnde cùm ipſa nihilo minùs timore perterrita interrogaret: ſi *presbyterum Wulffhardum*, qui pro foribus ſtabat, ut ei diceret, vocari vellet, hoc ſe omnino nolle, nec alicui præter ipſam hoc ſe dicere velle reſpondit. Sed cùm denuo ſe ad id, quod intenderat, explicandum paraviſſet, anxiari tam vehementer cœpit, ut pene deceſſura videretur. At illa præ timore ſola ibi conſiſtere non auſa, memoratum presbyterum citiſſime vocavit, qui cùm veniret, neque illi, neque ipſi quidem ſorori hoc dicere voluit, queſta non modicum, quod hoc contra votum & voluntatem ſuam aperire aliis & divulgare auſa ſit. Simili quoque per omnia modô *& de matre* fecit.

Neque enim *ipſa in monaſterio tunc erat*, quando

quando hoc, quod narravimus, factum fuerat; ſed poſtquam audita filiæ ægrotatione advenit, & ea, quæ viſitationi ejus congruebant, adimpleta fuerunt, ſolam eam advocari, & quandam ſe ei ſecretò cauſam prorſum admirandam dicturam eſſe memorabat. Cumque omnibus, ut petebat amotis ſoli ſola aſſiſteret, ſe ad dicendum parare cœpit; Sed iterum pallere, iterum tremere, iterum anxiari cœpit. Mater filiæ defectum videns, ſorori potius Gerbergæ ob familiaritatem earum hoc ſe poſſe dicere pronuntiavit. Quod, ubi illa audivit, digitum ori apponens neque illi, neque ipſi quidem matri, neque cuiquam hominum hoc ſe jam dicturam eſſe teſtabatur. Quod qua ratione declarare non meruerit, viderit qui poſſit. Illud ſanè credibile eſt, magni eam aliquid & Divini vidiſſe: neque enim parvum & humanum eſſe poterat, quod vel tantæ pulchritudinis, & ſuavitatis ipſa eſſe dixerit, vel quod cum tanto tremore ipſa ſuſpiciebat.

CATUT VI.

Mira Hathumodæ pietas erga Matrem, & in Auctorem, horumque ac omnium erga Hathumodam amor, & obſervantia, in extremo morbo maximè.

SEd & non nulla alia eam vel audiſſe vel vidiſſe, liquidò patet! Nam plerumque ab aſtantibus quis eſſet ſtrepitus & ſonitus, quem audiret, requirebat; plerumque admonuit, ut audirent vel qualis tempeſtas eſſet, vel in quali mundus commotione, in quali turbulentia, in quali certamine poſitus foret. Quod quidem *ex infirmitatis magnitudine, ut nonnunquam accidere ſolet, ſibi viſum fuiſſe credere poſſemus*, ſi non ea, quæ præmiſimus, aliud nos credere perſuaderent. Illud ſanè cuivis mirum videri poteſt, ſe aliquid horum, quæ viderat, matri celare potuiſſe, quia unicè eam ſemper diligebat, unicè reverebatur: ſiquidem ita ſemper ei, ac ſi parvula, blandita, ut ancilla in omnibus fuerat obſecuta. Si eam quandoque mœſtiorem aliquantulum vidit, variis modis, & miris obſequiis turbatum ejus animum lenire tentabat; & quia *librorum lectionem* ei admodum gratam eſſe ſciebat, aliquid ſe & auditu jucundum, & utile ad memorandum inveniſſe dicebat, quod ei legere deberet. Quis autem dignè explicet, quanto gaudio ſolita erga Deum devotione exultaverit, quòd mater cognita in hoc ejus voluntate ad eam lætificandam ſe jam ex illo loco non eſſe ituram ſimulaverit, Deo gratias agens, & matrem oſculis demulcens, ac manibus complexans, atque ſororibus, quid ſibi promiſerit, iterum iterumque revolvens?

Quod minùs mirum videtur, cùm etiam *noſtræ exiguitatis indigniſſimam parvitatem & ſana ſupra modum excoluerit, & jam infirma immani deſideriò videre cupiverit.* Nam in ipſo ſtatim ſuæ ægrotationis initio nobis, diſſimulatô tamen ſuæ infirmitatis nuntiô, *ut omnimodis veniremus, mandavit.* Vos autem teſtes eſtis, & Deus, qui ſanctæ animæ hoc tribuere debet, cum quanta exultatione, quantum infirmitas ſinebat, nos advenientes ſuſceperit; cum quanta charitate præſentes tenuerit; cum quanta ſolicitudine, ut cura noſtri haberetur, jugiter admonuerit; cum quanta anxietate & parumper eellulâ egreſſos nos requiſierit; cum quanta aſſiduitate nomen noſtrum ingeminans plura nobiſcum loqui tentaverit, cum quanto dolore nos tam tardè veniſſe ingemuerit. Parvam rem, ut quibuſdam videri poteſt, extraordinariam, ſed tamen affectûs ejus erga nos indicem dicturi ſumus. Si quando aliter in dolore *ad aliquid guſtandum adduci non poterat, hac arte ſibi perſuaſum, ſi aut à nobis transmiſſum, aut à nobis paratum diceretur.* Eo quoque, quô advenimus, die cibis coram ſe allatis, nos vocari juſſit, & quantum potuit, coram nobis manducavit, atque conſolationis noſtræ gratiâ tam lætè ſe per omnia continere contendit; ut maximam ſpem evadendæ mortis ejus conciperemus. Jam verò veſpere ingruente, cuncta in contrarium verſa, gaudium noſtrum in mœrorem, ſpem in deſperationem commutaverunt. Nam ita morbus ingraveſcere, & ſenſim per ſingula momenta creſcere cœpit; ut omnem ſpem recuperandæ ſalutis ſuæ amitteremus, & ſolam mortem ejus expectaremus. In qua languoris tamen moleſtia & meritum ejus erga nos, & veſter, Sanctiſſimæ ſorores, erga eam affectus & devotio oſtenſa eſt.

Primò omnium *venerabilis amita ejus, quamvis jam grandæva, & ſenio confecta,* quan-

quantùm dolor eam adeſſe permittebat, & indefeſſè aſſiſtebat. Præpoſita monaſterii, etſi multimodis occupationibus preſſa, à lectulo ejus nec parumper quidem abſcedebat. Decana, & Cuſtos Eccleſiæ, quantum cuſtodia illis commiſſa patiebatur, & frequenter adveniebant, & ſemper adeſſe volebant. Jam verò reliquæ ſorores, quæ in cellula jugiter cum ea eſſe non poterant, aut in Eccleſia Pſalmis pro ea & orationibus vacabant, aut extra fores cellulæ excubabant. Præcipuè tamen germanarum ejus ſororum jam antea omnibus nota tunc in eam pietas enituit. Ipſæ lectulo aſſidere, ipſæ jacenti infatigabundè aſſiſtere; ipſæ lectulum componere; pulvillum capiti ſupponere; ipſam in lectulo elevatam corpore ſuo ſuſtentare; manus fricare, pedes calefacere: ſtomachumque confovere; ipſæ æſtuantem flabello refrigerare; ſudorem defluentem linteolô detergere; ipſæ calidam aquam ad lavandum temperare; cibum parare ſimul & apponere, & in omnibus, quæ agenda erant, ſingulas prævenire.

Super omnia *mater admirabilis* dolorem internum vultu placidiori tegens mœrentes conſolari, flentes compeſcere; ſingulas alloquiô ſuô delinire ſtudebat; alios ipſa conſolatos eſſe cupiens, quæ ſemetipſam conſolari non poterat. Quantis ipſa gemitibus inter Eccleſiam & lectulum filiæ diſcurrebat? Quantum ante Sanctorum tumbam fudit lacrymarum, ne filiâ privaretur; ut pro illa ipſa moreretur, ut, ſicut in hanc lucem prior intraverat, ita & ab hac luce prior migraret? Aliquotiens in ipſo ad filiam acceſſu hæſit, gradumque revocavit; ita fortiſſima fœminarum dubitavit penè quid facere deberet: vocare una, revocare altera; illa hortari ut vel filiæ ſupremis adeſſet. Quid igitur faceret? Vocabat pietas, dolor revocabat. Accedebat tamen; ſed æſtuantem in morte filiam videre non poterat. Diſcedebat; ſed dolenti filiæ abeſſe non poterat.

CAP. VII.

Ejus jugis Pſalmodia, & de rebus Divinis ſermo. Commotum abſentis Abbatis, & ſodalium animum moranti apud ſe longius auctori manifeſtat.

JAmque corpus paulatim deficere cœpit, & tamen mens cœlo intenta firma durabat; canebat unà nobiſcum plerunque eosdem pſalmos, plerunque alios, plerunque quosdam ſparſim ex pſalterio verſus ita connexo ſibi ordine junctos, ut eodem ſpiritu, quo ſcripti erant, & ſanctæ ejus menti inſpirati non dubitarentur. Inter pſalmodiam & preces, ſemper in ore ejus Dominus, ſemper in corde Chriſtus erat; & niſi paululùm quaſi ad dormiendum oculos obclauſiſſet, ſemper aut pſallebat, aut de ſuæ animæ ſalute loquebatur. Peccata ſua cogitatione, locutione, & opere perpetrata jugiter confitebatur, & ſi quam pro his veniam ſperare deberet, requirebat. Sæpè etiam de bonorum & malorum in die Judicii vel diviſione, vel diſcuſſione, ovium ſcilicet à dextris, & hædorum à ſiniſtris, mentionem faciens interrogabat: ſi quis tunc fortè Sanctorum, & bonorum alii ſuccurrere, & alium adjuvare poſſet? Ad ultimum ſe noſtræ fidei, & manibus commendans, etiam Sanctis, quorum reliquiæ in noſtro monaſterio haberentur, ſe noſtræ parvitatis officio commendari poſtulabat.

Inter hæc, ac ſi jam iisdem ipſis, de quibus antea loquebatur, intereſſet, ac ſi jam Judicis tribunali aſſiſteret, ſic in hoc, quod videre videbatur, luminibus fixis, formidare, & trepidare cœpit. Nam eam tunc aliqua futurorum vel audiſſe, vel vidiſſe, & ex vultûs ejus varietate, & ex aliis, quas prævidit, & prædixit, rebus conjicere valemus. Recordari quippe vos, quæ tunc affuiſtis, non ambigimus, *priori, quàm deceſſerat, nocte nos ſimul vobiſcum ibidem affuiſſe;* cumque nos aſſideremus, vos lectulo ejus aſtaretis, & illa, neſcio quid, de noſtra parvitate immurmurâſſe videretur, vos putâſſe, quòd nos ſolito ſermone requiſiviſſet; unde cùm nos adeſſe diceretis, *illam ſimul vobiſcum noſtri causâ peccatum habere* ait, *nos propter ſe offenſam incurriſſe, quòd præter conſuetudinem noſtram diutiùs vobiſcum moraremur.* Ad quod cùm diceremus: nihil horum eſſe, *fratribus noſtris placere, ſi quid ad conſolationem, & ſolatium ejus facere poſſemus; ad hoc nos miſſos eſſe:* non ita, reſpondit, eſſe; meliùs eſſe, ſi jam diſcedere, & proficiſci maturaremus; verum omnino eſſe quod dixit: *quod quidem regreſſi ad monaſterium, ita fuiſſe reperimus.* Nam fratres noſtri *infirmitatem ejus tam gravem eſſe necdum ſcientes, nos tam diu remorari gravi-*

graviter patiebantur, &, ut poſtea comperimus, eodem ferè noctis tempore, quô illa hoc dixerat, *domnus Abbas inde cum quibusdam fratribus noſtris locutus eſt.* Quod etiam nos credere perſuadet, tunc quoque magnarum rerum aliquid vidiſſe, quando frequentiùs *Euge! Euge!* clamabat, & nos, qui affuimus, quaſi ad audiendum cohortata, quia jam amplius non poterat, *audite, audite* ſæpius ingeminabat.

CAP. VIII.

Sanctus Hathumodæ obitus præſente Marquardo Epiſcopo. Oculi & labia mortuæ moveri viſa. Ejus ſepultura cum incredibili omnium Ordinum luctu.

ADerat eodem ibi tempore cum Clericis *Marquardus Epiſcopus*, & omnia, quæ egreſſuris neceſſaria videbantur, in ſacri olei inunctione, in ultima reconciliatione, in ſacrificii communicatione, ſolemni more adimplevit. Cantabantur jugiter pſalmi, litaniæ & preces dicebantur, legebatur Evangelium, neque aliquid eorum, quæ ante exitum animæ fieri debent, prætermiſſum eſt. Jamque paulatim membris omnibus præmortuis, loquela minui, & ſenſim deficere ſpiritus cœpit; cùm illa tamen lignum ſanctæ Crucis, quod ibi habebamus, devotiùs deoſculans, oculis in illud intendebat, & aliquid ex pſalmis virtute, qua poterat, per intervalla immurmurabat. Convenit autem nobis, ut Pſalterio à capite inchoato, diligenter attenderemus, in quo Pſalmo, aut Verſu obiret; quod ſatis congruenter ſanctis meritis ſuis provenit. Nam cùm in quadrageſimo Pſalmo penultimum Verſum diceremus: *Me autem propter Innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum*, ſanctam, ut fidenter credimus, animam cœlo reddens, ultimum ſpiritum exhalavit. Expectavimus tamen, ut moris eſt, ſi eam fortè reſpirare contingeret, donec ſubſequentes duos Pſalmos, deceſſioni ejus aptiſſimos, compleremus; ubi jam manifeſta obdormitionis ejus indicia patuerunt, & hoc teſtantia cuncta Eccleſiæ ſigna ſonuerunt.

Vix dici poteſt, quantus ad Eccleſiam populus confluxerit; quàm gemebunda, & luctuoſa ſororum turba ad ſanctam ejus animam Deo commendandam convenerit. Quô cum multis lacrymis finitô, pleræque ad lavandum, ſecundùm morem, corpus in loco remanſerunt; cæteræ tamen interim in Eccleſia Pſalmis & orationibus vacabant. Miram rem dicturi ſumus, ſed tamen ſororum, quæ interfuerunt, teſtimoniô veram. Cùm jam ſanctum corpus ad lavandum in ſellula eſſet compoſitum, ipſam oculos, ut prorſus incolumem levâſſe, atque labra quaſi ad alloquendas aſtantes moviſſe. Lavato corpore, & dignè linteolis involuto cum digno virginum comitatu, & pſallentium choro, puellulis, quæ cereos ferebant, præeuntibus, ad Eccleſiam humeris Sacerdotum deportata eſt. Ubi quantus omnium gemitus, quantus luctus, quantus planctus fuerit, quis recordari ſine lacrymis, quis dicere ſine fletu poteſt? Confuſa erant omnia; nec voces cantantium & lugentium diſcerni quibant: tota quippe Eccleſia vocibus plangentium perſonabat; vox una lugentium erat, ſe Dominam ipſam optimam, ſe matrem miſericordiſſimam perdidiſſe; jam non eſſe, quæ tanta omnes charitate diligat, humanitate ſuſcipiat; quæ tanta liberalitate hoſpites colligat, tantâ miſericordiâ pauperibus ſuccurrat; gregatimque viri & fœminæ collectæ, hæ oſtendebant veſtes ab ea acceptas; illi alia munera ejus beneficiô collata præferebant. Interea gregatim turbæ per totam noctem & diem usque ad horam ſepulturæ ejus confluebant.

Jam verò, cùm ad ſepeliendum eam ventum fuerat, majorem nunquam ullus luctum, majorem planctum audire non debuit; nec compeſci ullo modo, quamvis Sacerdotibus juxta officii ſui miniſterium id propter Deum petentibus, potuit; ſed ſi quando aliquantulum cohibitus videretur, major deinde inſurgebat à turbis, quæ catervatim confluere non deſinebant, quodammodo renovatus. Hoc non ſolùm ipſô, & proximis diebus fiebat, ſed usque ad trigeſimum ferè diem. Nobiliores quoque quaſi turmulis quibusdam hinc inde convenientes non tam ipſam lugebant, quàm tunc veriùs Deo vivere ſciebant, quàm ſe tale bonum, & tantum ſolatium amiſiſſe, quàm Sanctam Congregationem tali matre deſtitutam, quàm digniſſima in matrem ejus tali ſobole privatam, quàmglorioſiſſimam ſororem ejus

Dominam noſtram Reginam tali Germana deſolatam fore dolebant.

Ad hæc *mater glorioſiſſima* incredibili mentis patientia ſingulos conſolans, ſingulorum lacrymas compeſcens, virorum fœmina, extraneorum mater officium implevit; ſiquidem quamvis de amiſſione ejus ſummopere, licèt tacitè, doleret, de eorum tamen amore palàm gaudebat, neque ſe prorſus eam amiſiſſe putabat, quam & Deo vivere, & cum Chriſto eſſe credebat, & in hominum memoria vivere videbat. Et tamen hæc tanta, & talis fœmina tantæ fortitudinis in publico, ſola, & ſecreta ultra modum ejusdem filiæ mortem dolebat, & tantò ſe ſingularis lacrymis indulſit largioribus, quantùm ſe coram aliis magis cohibuiſſe videbatur. Vincebatur quippe dolore, vincebatur pietate, quæ in optimo quoque maximè ſemper ſolet abundare. Proinde vos ſanctæ Sorores non tam dolere debetis, quòd talem amiſiſtis, quàm gaudere quod talem habuiſtis, imo habetis; Deo enim vivunt omnia, & ideo mortuam vobis non putetis, quam Deo vivere non ignoratis. Nam ſi Chriſtus vobiſcum eſt, imo quia eſt; ipſa vobiſcum ſimul erit, quam cum Chriſto eſſe non ambigitis; ipſa enim eum, ut verè Virgo, ſequitur, quocunque ierit. Vivit ergo hæc ſancta mater veſtra vobis ſpiritu, vivit ſanctâ vitâ, vivit irreprehenſibili converſatione, vivit eximiis moribus, vivit optimis exemplis.

CAPUT IX.

Parænesis Auctoris ad Sanctimoniales Gandershamenſes, quas S. Hathumodæ virtutes, præcipuè ſtudium Paupertatis jubet imitari.

AD hoc quippe iſta vobis ſcribere voluimus; ut quia eam jam corporaliter videre non poteſtis, in vitæ ejus ſanctitate quandam, ut in principio hujus opuſculi diximus, ejus imaginem attendatis; neque totam à vobis diſceſſiſſe exiſtimetis, cujus quotidie ſanctam converſationem non tam legere ignotam, quàm relegere cognitam valetis. Hoc vobis pro regula, hoc pro ſpeculo erit; quia ibi, ubi vita, & mores veſtri corrigantur, invenietis. Quamdiu in carne erat, corporalibus eam paſſibus ſecutæ & comitatæ eſtis; ſi illuc, quò nunc eam cum Chriſto regnantem credimus, pervenire vultis, ſpiritali eam greſſu ſequi debetis. Ipſa Chriſtum pauperem paupercula ſecuta tantùm in hac vita effloruit, ut tempore dormitionis ejus *neque funeri ſaltem neceſſaria ex ſuo adeſſent*, ſed *alienô linteolô* involveretur; quamvis *ſummô locô nata*, & monaſterio præpoſita, plura, ſi vellet, habere potuiſſet. Nec movere vos debet, ſanctiſſimæ ſorores, quòd tantæ ſanctitatis fœmina *difficiliori, & longiori aliquantulum exitu* ad Dominum tranſivit; hoc ideo quippe Dominus voluit, ne ei in futuro diceretur: *In hominibus non fuit, & cum hominibus non eſt flagellata;* hoc ideo Dominus voluit, ut ſi quid adhuc ex humanæ fragilitatis ſordibus in ejus mente emundari debuiſſet, per graviorem exitum purgaretur. Cæterùm illa modò, ut oramus, & credimus, Chriſtum ſponſum caſtiſſima ſponſa, ubicunque ierit, ſequens, canticum illud novum decantat, quod nemo dicere poteſt, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt ex hominibus, primitiæ Deo & agno, & in ore eorum non eſt inventum mendacium; ſed ſine macula ſunt ante thronum Dei.

Deceſſit ſancta hæc & incomparabilis fœmina *tertio Kalendas Decembris, feriâ ſecundâ, Annô Incarnationis Dominicæ octingenteſimô ſeptuageſimô quartô, Indictione ſeptima.* Vixit in ſancto propoſito *annis viginti duobus.* Omnes anni vitæ ejus fuerunt *triginta quatuor*, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum.

Amen.

INCIPIT

INCIPIT DIALOGUS AGII DE OBITU SANCTÆ HATHUMODÆ ABBATISSÆ.

Cum præſens ego ſupremis fortaſſe fuiſſem
 Sanctæ Abbatiſſæ anxius Hathumodæ;
Inter me, ſanctasque ejus, dignasque ſorores
 Sermo ſatis lugubris tunc fuerat habitus.
Pauca tamen conſolandi has dicere cauſâ
 Magnum me harum compulerat meritum;
Sed quia fortè recens adhuc dolor iſta repentè
 Has audire nimis prohibuit lugubres;
Hæc, quæ tunc flendo retuli, nunc verſibus edo,
 His quoque non nulla adjiciens alia,
Hoc ideo: quia hoc ipſæ rogitâſſe probantur,
 Ut ſibi poſt ſcriptum hoc ego dirigerem;
Quò ſe ſolari, quò hæc poſſent oculatô
 Quæ dixi, more jugiter aſpicere.
Unde favens juſtis harum votis, precibusque
 Paucula tentabo dicere prò merito.
Tu modo me lector cum his adverte loquentem,
 Et te cum noſtro participa gemitu.

Agius.

Non dubito fore vos mœſtas de morte ſororis,
 Et vobis obitum ipſius eſſe gravem:
Talis enim mulier non eſt injurè dolenda,
 Cui nunc vix aliam mundus habet ſimilem.
Optima cunctarum, quas ipſe aliquando viderem,
 Moribus egregiis, & Domino placitis.
Hanc non plangamus, cùm hanc modò plangat & Orbis,
 Et plangant variis ipſa elementa modis?
Hoc ſiquidem tot tantorum mores docuerunt,
 Hoc nos hic annus præmonuit ſterilis,
Egregiam, caſtam, ſanctamque per omnia matrem,
 Hinc migraturam ocyus ad Dominum.
Non, rogo, plangamus juvenili flore virentem
 Intempeſtiva prorſus obiiſſe die;
Sed tamen iſte dolor fore debebit moderatus,
 Debebit veſtris eſſe modus lacrymis.
Sicut enim non eſt niſi naturale dolere;
 Sic itidem ratio cuncta vetat nimia.
Quocirca peto vos, caræ, ſanctæque Sorores
 Ut jam parcatis fletibus & lacrymis;
Parcatis vitæ veſtræ, parcatis ocellis,
 Quos nimiùm flendo perditis omnimodò.

Nam *ne quid nimis* egregiè quidam & benè dixit;
  Immò per hunc potius hoc monet ipſe Deus.

Reſponſio.

Hæc, quæ proſequeris, prorſus veriſſima conſtant,
  Et ſcimus nimium omne vetare Deum;
Sed minimè nobis nimium hoc eſſe videtur,
  Quod meritis ſcimus ipſius eſſe minus.
Quantis namque bonis in hac una careamus,
  Haud quaquam dignè poſſumus exprimere.
Hæc ſoror, hæc mater, hæc nutrix atque magiſtra,
  Hæc Abbatiſſa, hæc fuerat domina.
Cùm hanc æqualem, ſimilemque per omnia vitam
  Duximus aſſeculæ, quamlibet exiguæ,
Unum velle fuit cunctis, nolle omnibus unum,
  Vota fuêre una, atque eadem ſtudia.
Et nos hanc non ploremus, hanc non doleamus,
  Et ſuſpiremus viſceribus cupidis?
Quæ noſtræ dulcedo ſimul, vel gloria vitæ,
  In qua ſunt una perdita tanta bona?
Denique de lacrymis, de planctibus atque dolore
  Non unquam nobis credimus eſſe ſatis.
Saltem nos lacrymis & planctibus exſatiemus,
  Si non optata nempe licet facie.

Agius.

Non nego nunc vobis juſtum ſatis eſſe dolorem,
  Non nego ſat juſtas eſſe ſimul lacrymas:
Cùm niſi cum gemitu membrum à membro dirimatur.
  Et corpus damnum ſufferat ægrè ſuum.
Et tamen hoc tolerat, quod non mediocriter angit,
  Hinc ex naturæ, inde Dei intuitu.
Non ſolas modò vos tangens dolor iſte remordet,
  Me quoque depaſcit, me magis excruciat.
Nam minimè, veluti dignum eſt, nunc dicere poſſum,
  Quanta ego vobiſcum commoda perdiderim.
Vos meliùs nôſtis, *quanto me ſemper amore,*
  Quantis incolumis foverit officiis.
Vos nôſtis, *quanta jam languida ſedulitate,*
  Qua anxietate meam geſtierit faciem:
Quo deſiderio ſuſceperit advenientem,
  Et quàm mirandis mulſerit obſequiis:
Qualiter alloquiô fuerit dignata ſupremô
  Aſſiduò nomen ingeminando meum.
Hanc ego non plorem tanto mihi deditam amore,
  Quanto nullimodis dicere prævaleo?
Ipſa meis compaſſa malis ut propria flevit,
  Conque-gaviſa bonis ſic fuit ut propriis.
Ipſa mihi mala reddiderat tolerabiliora,
  Sicut & è contra ſplendidiora bona.
Cum hac quicquid erat prorſus quod fortè volebam,
  Non ſecus ac mecum ipſe loqui poteram.
Me miſerum! me infelicem! poterone dolorem
  Unquam mutatâ ſolvere lætitiâ?

Quod tali, tantaque ſimul privatus amica,
Ipſi cum miſera ſorte ſuperſtes ego.
Sed quid nunc facio, cur luctu fortè me ipſe,
Vos etiam flere vos facio gemere?
Aſt hoc ex fragilis carnis propagine venit,
Ut homo defunctos lugeat ipſe ſuos.
Fleverat & Lazarum Dominus, Dominumque Maria;
Fleverunt ſanctos quique pii homines.
Sed modus eſt, ut præmiſi, lachrymis adhibendus
Et debet luctus non fieri nimius.
Hinc contriſtari nos Paulus Apoſtolus iſtis
Pro charis noſtris ritè vetat monitis:
Nolumus ignaros, inquit, vos aſſore fratres
De jam defunctis, imo ſoporificis;
Ne triſtes ſitis, ſicut reliquos fore conſtat,
Qui vitæ poſt ſpem non retinent aliquam.
Si ſiquidem defunctum modò credimus JESUM,
Ut ſurgens mortem vinceret horrificam;
Credamus quoque hos, qui jam dormiſſe probantur
Secum per JESUM tollere nunc Dominum.
Hæc ſpes noſtra eluit hæc conſolatio noſtra:
Noſtros defunctos vivere nunc melius.
Hoc modò hoc veſtrum debet lenire dolorem,
Hoc debet veſtras tergere nunc lacrymas;
Hoc vos ſolari debet, hoc lætificare,
Hoc animum veſtrum erigere ad Dominum.

Reſponſio.

Hoc certè hoc erit, quod nos ſolabitur unum
In tam funereo, prælugubrique malo:
Quòd licèt hîc ejus corpus tellure tegatur,
In cœlis animam credimus eſſe ſuam.
Hoc nos pura fides ejus ſperare ſuadet
Hoc cogit vita credere ſanctifica.
Sed quia carnali jam hâc non utimur uſu,
Nec hanc conſpicimus corporeis oculis,
Ipſius immani deſiderio retinemur,
Ipſius curâ angimur immodicâ.
Hinc gemimus, hinc mœremus, hinc denique flemus,
Hinc eſt hæc noſtra maxima triſtitia.
Nam quia nos miſeros hoc amiſiſſe dolemus,
Quod ſolum nobis maximè dulce fuit,
Nil aliud nobis niſi flere ſuave videtur,
Nil niſi lugere, plangere vel gemere.
Sed quia carnali greſſu jam nempe nequimus,
Ipſam nunc noſtris proſequimur lachrymis.

Agius.

Rara ſatis fateor res eſt, atque ardua valde
Et hac re nobis non adeo facilis;
Ut homo carnalis ſibi carne perinde propinquos
Cernere corporea non cupiat facie.
Non ſolùm cupimus quos novimus ante, videre;
Sed quoque non notos cernere crebrò juvat.

Sic

Sic olim Reges terræ faciem Salomonis
Ipſius auditâ geſtierant ſophiâ.
Sed meminiſſe decet, qnid Apoſtolus inde retexit,
A ſpecie carnis nos removere volens:
Jam nunc tempus hoc eſt, inquit, quo denuo nullum
Juxta carnalem noſſe decet faciem;
Etſi tempus erat quondam quo denique Chriſtum
Juxta corpoream novimus effigiem;
Sed minimè juxta carnem jam novimus ipſum,
Nec juxta humanam quærimus hunc ſpeciem.
Jam ſiquidem Chriſtus pro nobis mortuus exſtat,
Jam carnis fragiles exuit exuvias.
Jam hominem, quem pro nobis ſuſceperat, ultra
Cælos ad dextram ſubſtituit patriam.
Huc oculos veſtros, huc cor, animumque levate,
Illuc mente ite, quò hanc licet aſpicere.
Conſtat enim hanc non benè nunc in corpore quæri,
Non jam carnalem, ſed magis æthercam.
Dum quoque cùm vivens in corpore juncta maneret,
Hanc extra corpus affore viderimus.
Spiritus ergo ſuus magis eſt quàm corpus amandum
Perpes, cœleſtis, vividus atque levis.
Nam juxta quod ait Dominus: nunc nil caro prodeſt,
Spiritus eſt verò qui modò vivificat.
Corpus enim fore perpetuum nequit & diuturnum,
Et caro mortalis eſt ſimul & fragilis.
Occidat ergo priùs quò deinde reſurgere poſſit,
Incorruptibilis Spiritui ſimilis.
Sic & frumenti granum priùs arva recondunt,
Ut poſſit fructu ſurgere centuplici.
Sic ſata quæque ſuo modo terra recondit in alvo
Ut valeant frugem poſt dare multiplicem;
Sic nemorum frondes, quæ Vere novo revireſcunt,
Denudat propriis bruma priùs foliis.
Non igitur hanc deberis deducere fletu,
Non hanc debetis proſequier lacrymis,
Mœſtificatur enim veſtro ſacra fœmina fletu,
Et triſtis veſtris efficitur lacrymis.
Sic deducenda eſt in vivorum regionem,
Sic commendanda eſt ſancta Deo anima.
Nec vos flere decet, de qua cœleſtia gaudent,
Non lugere decet hic ubi Chriſtus ovat,
Præſertim cùm nec lacrymis poſſit revocari,
Nec fletus proſit omnimodis aliquid.

Reſponſio.

Vera quidem non ambigimus, quæ dicis, haberi
Et fruſtra tantas fundere nos lacrymas;
Sed tamen has ipſæ minimè cohibere valemus,
Nec quimus luctum pellere continuum.
Quando recordamur quòd talis fœmina dudum
Nunc immaturo occubitu obierit.
Quando recordamur tam multimodæ pietatis,
Tam puræ fidei, tam nitidi eloquii,

Quando

Quando recordamur mores, actusque ſacratos,
Vultum jucundum, atque benignum animum.
Cùm vitam noſtris oculis opponimus omnem,
Cunctorumque ſumus nos penitus memores,
Quæ vel ſana prius, vel poſt jam languida dixit,
Quæ fecit variis inclyta temporibus,
Cùm loca, queis ſedere prius, queis ſtare ſolebat,
Mœſtæ mœrenti cernimus intuitu:
Cùm hæc cuncta ſimul mœſtum cor ſæpè revolvat,
Nil nobis aliud nunc niſi flere juvat;
Sic etenim fortaſſe dolor cordis levigatur,
Dum quaſi piis quondam ejicimus lacrymam.

Agius.

Non ita fit, neque ploratu dolor imminuetur,
Sed magis excreſcit, & quaſi flendo redit.
Sicut enim corpus creſcente ſplene tabeſcit,
Augmentoque ſuo membra lien macerat;
Sic quoque fomentum quoddam liquet eſſe doloris
Hoc veſtros fletus, hunc gemitum, has lacrymas;
Hæc equidem crebra accendit ſpeculatio horum,
Quæ veſtris oculis oppoſita aſſeritis.
Hæc ſunt, quæ malè nunc veſtra lamenta fovendo,
Venenis ipſa dulcibus intus alunt,
Nec vos æquô animô modô permittunt tolerare,
Quod commune cluit omnibus omnimodis.
Nam cunctis commune mori mortalibus exſtat,
Nobis, jumentis, Regibus & Ducibus,
Servis & Dominis, inopi ſimul & locupleti,
Juſtis, injuſtis, ſenſibili, inſipidis.
Nec Regum tumidos faſtus, Proceresque veretur
Mors, nec ſublimes, dividit & humiles.
Quis Protoplaſtis poterat fore dignior unquàm
Quos Deus ipſe ſuis condiderat manibus?
Et tamen hos ipſos, quos plaſmatos Paradiſus
Sublimes tenuit, hæc modo terra tegit.
Primi patris Abel juſtiſſima denique proles
Dirè fraternô occubuit gladio.
Sed licèt à Domino pro fratris morte repenſus,
Mortem nullo modo quiverat effugere.
Enoch qui Domini nomen primus vocitavit
Interiit juncta poſteritate ſua.
Enoch, Heliâ ſociô nunc usque ſuperſtes
Affore prævaluit, mortuus occubuit.
Sem Japhethque Patri meritis non diſſona proles,
Vexerat in lymphis, nunc jacet in tumulis.
Quid Job nunc memorem, cui tunc bonitate nequibat
Affore par ullus, ut docet ipſe Deus?
Quid ſanctos pariter natos natasque retexam?
Et pater oppetiit, & ſobóles obiit.
Melchiſedech, cujus finis reticetur & ortus,
Fini ſuccubuit, initium reprimit.
Abraham, Iſaac, Jacob terni Patriarchæ,
Magno Adæ junctum nunc reſovent tumulum.

C Inclyta

Inclyta progenies duodeno ſtemmate Patrum,
Jam defuncta ſuos bis numerat titulos:
Juda, Ruben, Simeon, Levi, Iſaſchar, Zabulonque
Dan, & Nephthalim, Gad, & Aſer obiit.
Joſeph, Benjami, Manaſen, Ephraimque uterinos
Mater quæ dederat, terra recondiderat.
Atque Joſeph obiit, qui de morte eruit orbem
Quando fames arva preſſerat attigua.
Membra Aaron Vatis mons Or tumbata retentat,
Quem dederat primum lex ſacra Pontificem.
Eleazar, Phineesque Deo vates, ſibi fratres,
Unus poſt unum pertulit exitium.
Moyſi Dominum facie ad faciem ſpeculantis
Buſtum nempe latet, mors, obitusque patet.
Dux Jeſus Chriſtum factis & nomine monſtrans
Et Solem ſtatuit, & tamen occubuit.
Quid Jephte, Gedeon, Loth, Samſonque revolvam?
Cui ſLeo ſuccubuit, hunc fera mors rapuit.
Rex David, cujus fuerat de ſemine Chriſtus,
Goliam ſtravit morteque ſtratus obit.
Rex Salomon, quô nemo ſapientior unquam,
Nunc jacet in digno cum patre mauſoleo.
Joſiam, cujus Dominus prædixerat ortum,
In buſtis Regum poſt legimus poſitum.
Ezechias, cui ter quinos Deus addidit annos,
Mortem diſtulerat, non minimè tulerat.
Reges atque Duces, omnes pariterque Prophetæ
Extant defuncti, in tumulisque ſiti.
Quis Samuele in Prophetis melior fore quivit?
Quis Heliſeo major erit meritô?
Ille prophetavit; hic vitam reddit humatus;
Et tamen extremum elauſit uterque diem.
Eſaias, qui olim Solem retrocurrere fecit,
Mortis commune ipſe cucurrit iter.
Danielem, cui tanta arcana Deus pateſecit,
Cui tune nil latuit, nunc gravis urna tegit.
Tres pueros, quos flamma vorax non attigit olim,
Nunc avidâ prorſus fauce voravit humus.
Ezechieli, Jeremiæque Prophetis
Non tulit exitium, qui intulit exilium.
Oſe, Johel, Amos, Abdia, Jonas, Micha, Naum,
Abbacucque ſibi Sophoniâ ſocio,
Acchæus, Zacharias, ſimul & Malachias
Bis ſex ſerta modo ſunt adoperta ſolo.
Atque Jonas, qui de ceti ventre erutus olim
Vixit ſub pelago, eſt modò preſſus humo.
Judas, Eleazar, Jonathas, Simon, atque Johannes
Cum jam grandævo tune patre Mathathia
A Patria hoſtem, gladiumque ſimul pepulêre,
Et removere à ſe non potuêre necem.
Sed ne fœmineum ſexum prorſus taceamus,
Et nil dicamus hinc pariter penitus,
Sara, Rebecca, Rachel, Debora, Noemi, Ruth & Anna,
Holda, Suſanna, Judith, & ſimul Heſter obit.

Has

Has intermicat alma ſuis Machabæa trophæis
Nobilis in ſeſe, nobilis in ſobole.
Sed quid ſola diu veterum monumenta retexo,
Nec cum his unà & nova commemoro?
Præcurſor Domini *ſanctus Baptiſta Johannes*,
Cui nullus fuerat major, hic occiderat.
Corpus *Sebaſte*, caput *Alexandria* ſanctum
Cum *Marci* ſacris continet exuviis.
Primos Eccleſiæ Proceres, duo lumina mundi
Petrum cum Paulo Roma tenet meritò.
Andream ſimul & *Lucam*, quorum modò pollet
Conſtantinopolis corporibus nitidis
Iſtum Bithyniæ, Syriæ provincia miſit,
Illum fœcunda contulit Achaia.
Johannem, quem ſic Dominus quoadusque veniret,
Manſurum dixit, *Epheſus* alma colit.
Ambos cum *Stephano Jacobos Judæa* retentat,
Summis Stemmatibus ipſa beata tribus.
Inclyta *Hierapolis* præfert ſacra membra *Philippi*,
Et ſunt *Matthæo Æthiopes* nitidi.
Thomam Ediſſa tenet, habet *India Bartholomæum*,
Perſida ſtat *Judæ & Simonis* cinere.
Matthias & Barnabas, Timotheus, Apollo
Sylvanus, Titus, Theophilus, Gajus.
Joſeph, Gamaliel, Nicodemus & Nathaniel
Deceſſêre, viri, quamlibet eximii.
Longum prorſus erit, ſi cunctos denique Sanctos
Per mundum, metricô exſequar ecce ſtylo.
Si ſimul & turbam modò percurram mulierum,
Quas tenet in ſacris ſchedula ſancta libris
Anna Prophetiſſa, Eliſabeth, Suſanna, Johanna,
Marthaque cum ternis occubuit Mariis.
Ipſa ſalus orbis, & vita per omnia Chriſtus
Ipſe ſubit mortem, ipſe tenet tumulum.
Ipſa Dei genitrix ſemper ſacra Virgo MARIA
Aſſumta ætherea incolit alma loca.
Denique quis mortem ſe declinare putabit,
Quam cernit vitam ante ſubiſſe ſuam?
Quis pro defunctis mœrorem fortè tenebit,
Quis doleat charos mœſtus obiſſe ſuos?
Cùm jam per Chriſtum pax facta, reconciliatus
Jam ſit per Chriſtum mundus apud Dominum,
Et ſit peccatum pro nobis factus JESUS
Ut mundi cuncta tolleret ipſe probra?
Non hanc ergo brevi vitâ functam doleatis,
Ne vobis aliud, quàm Domino placeat.
Nulla magis plena eſt, nulla eſt perfectior ætas,
Nulla optabilior, nullaque commodior,
Quàm hæc, quam Dominus Chriſtus habuiſſe probatur,
Juxta quod ſanctum pandit Evangelium;
Annorum ſiquidem *triginta trium* memoratur,
Quem ſimul annorum ipſa tulit numerum.
Hac ætate liquet fore plaſmatos protoplaſtos,
Et ſurrecturum omne genus hominum.

C 2 Hoc

Hoc ſiquidem, hoc eſt, quod Paulus Apoſtolus inquit,
 Cùm de his verbis diſſereret brevibus:
Donec, ait, Domino hoc occurramus in ævo
 Quô nos perfectos jam liquet eſſe viros;
In hoc ætatis modulo, quô vita peracta
 Tunc Chriſti fuerat, quando crucem ſubiit.
Quos igitur potius hinc exultare decebit,
 Quòd tranſlata citò, nunc fruitur Domino,
Quæ breviore via mundi tranſire pericla
 Et reperire citam promeruit requiem.
Transfertur ſiquidem juſtus, ne prava voluntas
 Cor mutet rectum, decipiatve animam.

Reſponſio.

Iſta quidem fore nixa ſatis firma ratione,
 Nullo modô certè poſſumus ambigere:
Scimus enim debere mori mortalia cuncta,
 Scimus ad occaſum tendere cuncta ſuum;
Sed tamen ingenitus mortalibus ardor amoris
 Non modò non flere, non ſinit & gemere.
Non ſolùm ſiquidem propter hanc ecce dolemus,
 Flemus, lugemus, plangimus & gemimus,
Quo deſolatas ejus nos morte dolemus
 Noſque lupi miſeras morſibus expoſitas.
Agnos namque gregis percuſſa matre neceſſe eſt
 Sive mori teneras, lactis & indiguas;
Aut errabundas lac quærentes alienum
 Dentibus inſani nempe patere lupi;
Sicut enim Scriptura refert: paſtore perempto
 Paſſim diſperſæ diripiuntur oves.
Quod de diſcipulis Domini dictum ſeu factum
 Scit benè, qui ſanctum novit Evangelium.
Denique quæ miſeris ovibus ſpes eſſe valebit,
 Si tunc hoc tantis contigerat ovibus?

Agius.

Hoc primum vos nôſſe volo, geminum fore nobis
 Noſtrorum affectum cœlitus ingenitum;
Carneus eſt unus; alter Divinus habetur:
 Unus cœleſtis; terreus eſt alius.
Sed carnalis amor, charos nos plangere noſtros,
 Defunctos flere nos facit, & gemere.
Sicut & è contra Divinus ovare ſuadet,
 Cum his ſalvandis nos ſumus indubii.
Quapropter modò vos iterumque iterumque monebo,
 Ut dimittatis has nimias lacrymas:
Sicut enim carnalis amor gratus, moderatus,
 Sic fiet nocuus, ſi fuerit nimius.
Quare ſi fletum vobis hoc fortè ſuadet,
 Vos faciat lætas tripudiare Fides.
Nam pietas hæc, impietas magis eſſe probatur;
 Quando adverſa pio diligimus Domino.
Sed quia lenitum jam credimus eſſe dolorem,
 Credimus his veſtrum cohibitum gemitum,

Qui

Qui de morte piæ veſtræ, ſanctæque Sororis
  Torquebat veſtrum omnimodis animum.
At hæc, quæ reſtant, jam reſpondere ſtudebo,
  Quod tamen eſt certè ſat mihi difficile.
Juſtus enim ſatis iſte dolor cuicunque videtur,
  Quo pro ſe mœret, quo ſibi quisque dolet.
Et ſanè poſſem modo dicere, quod Sapientûm
  Hæc ſatis eſt vera, & pia traditio:
Fortem quemque virum quævis incommoda mundi
  Forti perferre pectore competere.
Aſt hoc fœmellis teneris grave fortè videtur,
  Nec hæc res vobis eſt adeo facilis.
Sed quid agam? an poſtremum inter ſolatia dicam
  Quod jam ferme omnes dicere ſæpe ſolent:
Quod minimè penitus nos emendare valemus,
  Illud debere nos tolerare bene?
Non igitur volo hoc, non hoc volo dicere vobis,
  Sed quod ſolari vos valeat meritò.
Non fore vos deſolatas, non vos viduatas,
  Afſore nunc matrem prorſus honorificam.
Ipſe Deus, qui hanc vobis conceſſerat, ipſe
  Vos conſervabit, diriget, atque reget.
Præterea mater pia, cujus in omnibus ipſa
  Uſa fuit jugi, jugiter auxilio
In cunctis aderit ſemper, quoque ſedula vobis
  Quæ vel tractatis, dicitis, aut facitis.
Nec deerit *Regina ſoror* vobis, ubicunque
  Forſan Regali eſt opus auxilio.
Non deerunt fratres, non tot, tantique fideles,
  Quos latè veſtrum promeruit meritum.
Præcipuè tamen *alma ſoror*, velut optima mater
  Filiolas precibus proteget aſſiduis.
Nunc ſiquidem tantò vobis magis utilis exſtat,
  Quanto vicina nunc magis eſt Domino.
Sic olim ſacer Helias dum fortè revectus
  Ad Superos curru afforet igneolo.
Spiritus illius duplex requievit in ejus
  Tunc Heliſeo denuò diſcipulo;
Et quia cuncta poteſt Dominus, poterit quoque, ſi vult
  De minimis ecce hæc eadem ficere.
Non poterit ſi vult, etiam de cautibus iſtis
  Propitius facere filiolas Abrahæ?
Vos modo ne pigræ ſitis, hoc jugiter ipſum
  Voto exorare, & prece continua.
Aderit in cunctis vobis, ut diximus ante,
  Hæc eadem meritis fœmina ſacra ſuis.
Ut ſiquidem vos ipſa velit, valeatve juvare.
  Poſſe dat omnipotens, velléque proximitas.
Nam licet in cœlum ſuſceptus ſpiritus exſtet,
  Non tamen à nobis hinc abiit penitus:
Vivunt virtutes, vivit quoque vita beata,
  Vivit lingua pia, & merita almifica.
Hæc, quia jam faciem nunc nempe videre nequitis,
  Nunc coram veſtris ponite vos oculis.

Si quid in hac ſummè vos ſemper amâſtis, habetis
Vitam ſanctiſſimam, magnificum meritum.
Hæc ſunt exuviæ, hoc palliolum reverendum,
Quod ſurſum rapto deciderat Eliæ
Iſto Jordanem tunc diviſit Heliſeus;
Et falſa à veris vos quoque dividitis.

Reſponſio.

Jam ſatis eſt factum nobis hoc, affore vanos
Omnimodis fletus, quos lacrymando damus:
Nil etenim proſunt, nec his, quantælibet exſtent,
Quosvis defunctos jam facimus reduces.
Nos potius noſtra perfuncta ſorte ſequentes
Hinc quaſi de longo ibimus exilio.
Quare deterſis oculis, lacrymisque remotis
Sedato planctu, cohibito gemitu,
Jam tibi chara ſoror nosmet gaudere decebit,
Quòd has ærumnas tam citò tranſieras
Nos flemus, quæ non tecum ſimul eſſe merentes,
Hoc certare diu cogimur in ſtadio;
Nos flemus, quæ in hac convalle ſumus lacrymarum,
Tamque diu à noſtra differimus Patria.
Tu fidei, vitæ ſtadio, curſuque peracto
Jam renites digno juſtitiæ bravio
Noſtra fides, noſter curſus, quem prorſus habere
Finem prævaleat, in dubio remanet.
Tu jam cum Domino devicto hoſte triumphas;
Nos adhuc hoſtis impedit aſſiduus.
Te jam portus habet; nos adhuc jactat abyſſus.
Te lux vera tenet; nos tenebræ retinent.
Tu cum Virginibus comitans quocunque it, agnum
Lilia cum violis colligis atque roſis;
Nos cum coancillis noſtris tumulo ecce tuopte
Flores ſpargentes ducimus excubias.
Tu jam *fata patris, fratrum* ſimul atque *ſororum*
Iſthinc nôſſe vales, inde juvare potes;
Nos etſi bona credamus de munere Chriſti,
Qualia ſint prorſus ambiguæ cluimus.
Chara Soror, quæ noſſe potes ſimul atque juvare
Illos nobiscum adjuva apud Dominum!
Pars tua nos cluimus, ſicut tu pars quoque noſtra,
Tu tecum patrem nunc rape chara tuum.
Fratres, germanasque ſimul, ſimul eſſe parentes
Quid magis eſſe decens, quid mage dulce poteſt?
Inter ſe dirimi minimè nunc convenit illic
Uno Patre ſatos, uno utero genitos.
Chara Soror, deſiderium, lumenque tuorum,
Quam brevis eſt nobis, nunc tibi longa ſalus!
Heu quam in modico nobiſcum tempore vivens
Quàm citò tu nobis mortua tranſieras!
Nunc in cœleſti felix regione locata
Nos vel per viſus chara reviſe frequens.
Sit ſaltem mœſtis hæc conſolatio nobis,
Ut per crebra ad nos ſomnia tu venias?

Et

Et jam chara vale, dulcedo & gloria noſtra
  Noſque tuis dignis chara juva meritis.
Te modò ſubmiſsè frater dilecte rogamus
  Commenda crebris hanc Domino precibus.
Tu tibi teſtis ades, quantùm te ſemper amârit,
  Nunc illi dignam ipſe repende vicem.
Nos etiam minimas ejus de more ſorores
  Nunc commendamus ecce tuis manibus.
Ut doceas, moneasve tibi nos more ſueto,
  Et nos ipſius ſemper amore colas;
Mercedem dabit hic vobis, cui ſervijt ipſa,
  Cujus item famulæ nos ſumus exiguæ.
Nos etiam ſolito te ſemper amore colemus,
  Immo magis colimus, quàm ſolitæ fuimus.

Agius.

Gratum valde mihi hoc eſt, quod dicitis, immò
  Iſtud nunc ipſe debueram petere.
Sed præveniſtis ſicut meritis, ita cauſæ
  Iſtius humili funditus officio.
Unde *quia alternum noſtrum benè ſcitis amorem*,
  Hoc vos affectu diligo teſte Deo.
Doctrina vos verò mea non prorſus egetis;
  Eſt qui vos *Dominus* inſtruat interiùs.
Quicquid in obſequio eſſe poteſt, ad hoc fore promptum
  Et me promitto, & fore non dubito.
De Patris & Fratrum, qui deceſſêre, ſalute
  Non decet eſſe nimis vos modò ſollicitas.
Una ſoror, terni fratres obiêre tenelli,
  Quod fore hos ipſos approbat innocuos.
Enda ſoror, quæ jam fuerat conjuncta marito,
  Quod minus ipſa tenet, *in ſobole illud* habet.
Ipſe Pater quamvis ſine ſorde nequiverit eſſe,
  Utpote mundanô præditus officiô;
Quantîs ipſe bonîs tamen emundare piâcla
  Curârit propria, vos benè nôſſe ſcio.
Nam licèt innumerîs mundi curîs premeretur,
  A quibus haud opere ſe quivit exuere,
Romam perrexit, quò, cui conceſſa facultas
  Solvendi fuerat, ſolvere ſe peteret;
Hinc dignos cineres Sanctorum ritè revectans
  Partem de proprio jure dedit Domino.
Hic ſacra Sanctorum oſſa locans, vos *quinque ſorores*
  Illic Divino dedidit obſequio.
Filiolum, quem Cœnobio junxit monachorum,
  Ne qua Deo deeſſet portio fortè ſui.
Poſtremò redimens eleemoſynis malefacta,
  Ipſaque confeſſus, *mortuus in cinere eſt.*
Quis pietate Dei pro his non judicet, ipſum
  Omnimodis dignum crimine fore reum?
Arſurumne putatis eum, cujus pia facta
  Mundo labente ſtant ſine fine ferè?
Stat locus ille Dei, quem tradiderat famulabus
  Quæ pro ſe juges continuant lacrymas.

Hic

Hic chorus ille cluit, quem pridem ſolvere grates
  Pro ſe ſalvato viderat ipſe Deo.
Vidit enim in ſomnis, in maceria nimis alta
  Te nutabundum ſtare ſatis trepidum;
Cumque putaretur quaſi confeſtim periturus,
  Quendam clamâſſe protinus è latere:
Væ miſero jam, inquit, ruituro, jam perituro,
  Nec ſpes ulla ſibi jam poterit fieri!
Adhuc ille fide plena: non ſic erit, inquit,
  Sed ſpes prorſus erit, ſi Deus ipſe velit.
Sic pede delapſo ſe demiſſum pedetentim,
  Et recto utroque ritè ſtetiſſe pede.
Hic cœtum magnum verſis faciebus ad Ortum
  Grates inde pio mox retuliſſe Deo.
Vidit huic alium non diſſimilem ferè viſum;
  In nimium celſa aſſore ſe frutice;
Cumque videretur velut ex altò ruiturus,
  Quendam dixiſſe ſic ſibimet ſubito:
Si ramum, qui præmodicus ſibi proximus eſſet,
  Fortiter ambabus conciperet manibus,
Se nihil omnimodis paſſurum nempe pericli,
  Nec quid ei prorſus poſſe malè fieri.
Tunc iterum cœtum, ut dixi converſum ad illum
  Laudes ſalvanti concinuiſſe Deo.
Viderat hoc ſanè paucis prius ipſe diebus,
  Quam foret infirmus, ſanus adhuc penitus.
Hæc quid portendant bène vos advertere quitis,
  Et hæc inter ſe non fore diſparia.
Ergo quid in muro renitet niſi celſa poteſtas,
  Qua tunc ſublatus ipſe fuit penitus?
Murus enim factus de ſaxis pluribus exſtat,
  Sicut erat multis fultus hic aſſeculis.
Sed hic in ſummo murorum culmine ſtabat,
  Quòd *multis unus Dux fuerat poſitus.*
Et quia ſalvari meruit, tunc ſpiritus ejus,
  Inde ruens rectis conſtiterat pedibus.
Unde locus veſter, quem fundans initiavit,
  Ob hunc ſalvatum glorificat Dominum.
Nec hoc diſſimile eſt, quod poſt hæc ipſe videbat;
  Sed fore hunc viſum edocet indubium.
Arbor enim, quæ celſa ſatis fuerat ſibi viſa
  Ramis erectis, flore decora ſatis,
Inclyta progènies ejus, propagoque celſa eſt,
  Et mundo clara, & Domino placita.
Nam quòd clara fuit mundo, flos prodigiabat,
  Sed monſtrat recta, quod Domino placita.
In hujus ſummo non ſtans, ſed pendulus hæſit,
  Ipſe quòd ante potens finierat attigûus.
Summus erat, quia nempe *ſui generis ſimul omnes*
  Vicit virtute, vicit honore quoque.
Pendulus adhæſit, quia jam nutare poteſtas
  Vicinâ morte, cœperat ipſa ſua.
Huic erat attiguus ramus, quia proxima carne
  Hathumod alma ſuis juvit eum meritis.

Hic

Hic præparvus erat, quoniam hæc fœmina ſexu
Non fuerat famæ ambitioſa ſuæ.
Hunc hic conſtringit manibus; quia plurima natæ
Atque coancillis contulit ipſe ſuis.
Hoc meritum, hoc eſt, quod eum jam jamque labentem
A caſu planè eripuit duplici.
Nam quod nobilitas tulit aut terrena poteſtas,
Hoc eleemoſynæ reddiderant variæ.
Vos, *qui bis uterini*, pariter cum conjuge digna
Ipſius ſitis perpetuò memores.
Hæc etenim, hæc eſt, quæ ramum prendere palmis
Hæc quæ eleemoſynas ſuaſit ei varias.
Vos debitrices ſimul eſtis utrique parenti,
Una cum cunctis, quas tenet ille locus.
Quem Domino, Sanctiſque ſuis dantes voluerunt
Cunctis commuem aſſore per Dominum.
Vos eſtis grex ille ſacer, quem ſolvere grates,
Vidit hic in ſomnis vir Domino placitus.
Quicquid namque boni facitis, hoc ad hoc remeabit,
Qui vobis illum ritè dedêre locum.
Præcipuè tamen hoc ad hanc meritò remeabit,
Quæ vos nutrivit, quæ ſimul inſtituit.
Qua de re precibus pro hac, quod poſcitis, etſi
Ipſius ipſe magis indigeam precibus,
Hoc vos nôſſe volo, ipſius quoadusque ſuperſtans
Sum, memor ipſe mei me memorem fieri.
Nec de corde meo ſua chara recedit imago,
Vel cum dormito, vel potius vigilo.
Denique cùm vigilo, de hac vel penſo, loquorve,
Nocte mihi charam ſomnia dant faciem.
Nam quoties ſomnus laſſos obducit ocellos,
Protinus apparet, mox aliquid memorat.
Plurima ſunt, ſed de multis ipſe vel unum
Exempli cauſâ dicere nempe volo.
Jam ſex tranſierant noctes, & ſeptima venit,
Poſtquam diſceſſit, jamque humata fuit.
Cùm cubitum me vicina jam luce locâſſem,
Vidi me in veſtro eſſe monaſterio.
Ipſam verò loqui mecum de more videbam
Cùm de nonnullis, quæ inciderant, aliis,
Tum *de Regula* item *noſtra*, totaque perinde
Vel vita noſtra, Cœnobiique ſtatu.
Cumque mihi librum, ſi quem fortaſſis haberet,
Noſtri propoſiti tunc peterem tribui,
Se habuiſſe quidem, ſed jam non prorſus habere
Te *Gerberg* iſtum dixit habere librum.
Qui mihi delatus, parvus fuerat mihi viſus,
Sed benè conſcriptus, & benè compoſitus.
Et quô nil unquam vel cordi gratius eſſet,
Aut ipſô certè pulchrius intuitu.
Poſt ubi de ſomno lætus mox evigilâſſem,
Grata ſatis mihimet viſio viſa fuit;
Unde die facta mox ipſum fratribus ipſe
Noſtris expoſui, quidque foret retuli.

Te *Gerberg Abbatiſſam* fore, proque ſorore
   Veſtri tenturam cœnobii regimen.
Hoc etenim portendere Regula noſtra videtur,
   Quam modò tu retines, ipſa prius tenuit.
Parva quidem, quia parvus adhuc grex veſter habetur,
   Sed benè conſcripta, ob pia facta tua.
Et verè, Soror, ùt dixi, nil pulchriùs unquam,
   Et meliùs ſcriptum me recolo intuitum.
Quocirca licèt & doleam, & ſemper doliturus
   Me ſim vivente, hanc obiiſſe citò:
Succeſſiſſe tamen ſanctæ te gaudeo ſanctam
   Ipſique ùt carne, ſic comitem meritò.
Nam quamvis alias quoque vobiſcum fore conſtet,
   Quæ poſſent ſubdi non modò huic oneri;
Te tamen & Sophia ſimul, & bonitate ſciebam
   Non injurè ſibi optimè ſubſtitui.
Ut ſiquidem carnis ſibi jure propinqua fuiſti;
   Sic itidem meritis proxima tu fueras.
Denique Te nunc nos ejus gaudemus honore
   Dudum condignam tunc ſibi diſcipulam,
Sed modò hæredem dignam nihilominus ejus
   Sive monaſterii, ſive pii meriti.
Quæritur ergo in Te ſacra fœmina, quæritur in te
   Affectus cordis limpidus ille ſui.
Illius diſciplinæ quædam quaſi imago,
   Ejus virtus, quæritur effigies.
Quæritur almificum meritum, mores reverendi,
   Lingua perinde pia, vitaque jure ſacra.
Quæritur ùt generis cauſa, ſic actibus ipſis,
   Sicut in effectu, ſic & in officio.
Vos etiam ſanctæ ipſius, dignæque ſorores
   Hanc matrem veſtram excolite ùt Dominam.
Quamvis namque cluat vobis genus omnibus unum;
   Attamen hæc Chriſti eſt munere præpoſita;
Chriſti electa loco Chriſtique vicaria conſtat,
   Chriſto vos agitis, quidquid ei facitis.
Chriſto, facta ſibi, forſan injuria fiet,
   Chriſtus honoratur, Chriſtus in hac colitur.
Præterea naturalem veſtram quoque matrem
   Omnibus omnimodis excolite obſequiis.
Hoc Domini juſſum, hoc veſtrum nôſtis honorem,
   Hoc nôſtis veſtram affore gloriolam.

Explicit.

NOTÆ

NOTÆ
IN
VITAM HATHUMODÆ
ABBATISSÆ GANDERSHEMENSIS.

AGius - - - Chriſti ſacerdos) Quis & unde fuerit *Agius* primum diſquirendum eſt. Ex Vita hac Hathumodæ Abbatiſſæ diſcimus, illum vitam hujus Abbatiſſæ *magna ex parte noviſſe* & obitu ipſius *interfuiſſe*; item eundem aliquo ante obitum ejus tempore Gandershemii fuiſſe & *languentes Moniales* forte medicina curaſſe (Cap. IV.); ab Hathumoda ſupra modum excultum (Cap. VI.); ipſam ægrotationis initio juſſiſſe, *ut omnimodis veniret* (ibid.); & cum veniſſet, *ad guſtandum aliquid adduci non potuiſſe*, niſi diceretur, *ab Agio tranſmiſſum* aut *ab eo paratum eſſe* (ibid.); ſpem quoque fuiſſe *evadendæ mortis ejus*, quæ tamen mox evanuerit. Indicat tandem (Cap. VII.) ſe ab *Abbate & fratribus miſſum fuiſſe*, ut videret, *ſi quid ad conſolationem & ſolamen agrotæ facere poſſet*; & *fratres infirmitatem Abbatiſſa tam gravem eſſe necdum ſcientes, ipſum tamdiu remorari graviter paſſos eſſe*. In carmine prodit, Hathumodam morientem *aſſiduo nomen ingeminaſſe ejus*. Promittit porro ſororibus Hathumodæ, ſe ipſas eodem, quod defunctam, affectu diligere, ipſas tamen *ſua doctrina non egere*, quia ſit *Dominus* (Epiſcopus Marquardus nempe) *qui interius inſtruat*. Dicit, cum ſua hæc ſcriberet; *vidi me in veſtro eſſe monaſterio*. Unde alibi illum degiſſe manifeſtum eſt. Animæ autem curandæ cauſa ipſum apud morientem non fuiſſe, vel hinc concludas, quod narrat, morienti ipſum *Epiſcopum Hildeshemenſem Marquardum cum clericis* (Cap. VIII.) adfuiſſe, unàque *presbyterum Wulffhardum* (Cap. V.), qui ejus Confeſſionarium egiſſe videtur. Reſtat, ut Agium medicæ artis peritum fuiſſe ſtatuamus, quod & antecedentia omnia comprobant. Et, cum ſororibus defunctæ opem ſuam polliceatur; addatque, eſſe Epiſcopum Marquardum, qui *interius*, ſive quod ad animam attinet, *inſtruat*, conſequens eſt, ipſius doctrinam circa *exterius* ſive corpus occupatam fuiſſe, quod medici eſt. Medica autem arte & varia eruditione tunc apud Corbejenſes (nam aliud Gandershemio vicinum tunc monaſterium non erat) clarebat præcipuè *Wichbertus*, anno 880 in Epiſcopum Hildeshemenſem promotus, favore ſine dubio familiæ Ludolfingæ. Illum Annales Corbejenſes ad an. 884. ante adeptum Epiſcopatum monachum Corbejæ fuiſſe teſtantur nomenque hujus ejusdem *Wicberti* extat etiam in Catalogo veteri Fratrum Corbejenſium ſub Abbate Adalgario apud Meibom. Script. Germ. Tom. I. pag. 755. Et Chronicon Hildeshemenſe Scriptor. Brunſv. T. I. editum pag. 743. de eo ſcribit: *Anno deinde 880. Wicbertus Epiſcopus electus eſt, qui ſuo tempore medicinæ artis periti ſſimus fuit, & Bibliam* [ſic enim pro *Bibliothecam* legendum alius me Codex docuit] *quæ adhuc in monaſterio ſervatur, propria manu elaboravit*. Idem au. 883. conſummatam Eccleſiam in Gandersheim dedicaſſe & Gerberga Abbatiſſa defuncta ſororem ejus Chriſtinam ibidem inſtituiſſe memoratur. Notum autem eſt inferioris ævi rumatoribus, eruditos ſeculi præſertim noni plerumque nomina Germanica, quæ habebant, in Latina aut Græca mutaſſe, Rabanus *Maurus*, Arno *Aquila*, Riculfus *Damoeta*, Ratbertus *Paſcaſius*, Wala *Arſenius*, Wulfians *Boëthius*, Welfo *Bonifacius*, Oda *Benedicta*, Blitrudis *Cæcilia*, & ſic porro, vocabantur. *Wicberti* porro nomen in *Wibo* vel *Wigo* vulgo contrahebatur. *Wih* vero, nobis jam *weihe*, denotat *ſanctum*, Gr. ἅγιον. Rabani Mauri Gloſſarium MStum: *Sacer, uuih*. Kero: *Benedicat, uuich*. Idem: *Sanctus, wiho. Sanctum, wihaz. Sanctis, wiheem. Sancto, wihemu. Reliquiæ*, ſc. ſanctorum, *wihicla*. Rabanus l. c. *Incenſum, wihrauch*. Unde conſequitur *Agium*, quod Græcum eſt, ſua lingua *Wihonem* ſive *Wichbertum* vocatum & eundem eſſe cum modo ob medicæ artis peritiam laudato Wicberto Epiſcopo Hildeshemenſi. In monaſterio optimis is artibus innutritus fuit, & ſtylo pro illis temporibus eleganti oſtendit, ſibi prioris Latinitatis authores ſtudioſe lectos eſſe. Meliorum authorum & Taciti quoſdam loquendi modos in eo animadverto; & notatu dignum eſt, Taciti Annales in Monaſterio Corbejenſi ab interitu conſervatos ac inde deinde in lucem protractos. Lipſius enim ad illa lib. II. Annalium verba: *Flumen Viſurgis interfluebat*, annotat: *Mutuâ Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis, cui famam præcipue Tacitus dedit, & ipſe Tacito (mirum fatum) vitam. Nam quinque hi primores libri inventi Corbeja, quod Monaſterium ad Viſurgim eſt. Atque illic depromptum vere hunc theſaurum Quæſtor quidam Pontificius ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis*. Andreas Alciatus in Encomio Hiſtoriæ ad Galeacium Vicecomitem ait Leonem X. Pontificem Maximum quinque primos Taciti libros a *Barbaris* redemiſſe; immerito certe *Barbaros* vocans, iis etiam temporibus, quibus omnis Italia barbara erat, litterarum elegantiorum conſervatores & pro viribus ſtudioſos. Vix enim ſuæ gentis homines proferre potuiſſet, qui ea ætate cum Agio noſtro, Roſwita moniali, poëta Saxone anonymo, Witechindo hiſtorico, Brunone Archiepiſcopo Colonienſi aliisque non parvo numero comparari mereantur.

ex paterno genere) Pater erat *Ludolfus*, quem Roſwita in Carmine de Conſtructione Cœnobii Gandersheimenſis *Ducem* vocat & hoc elogio ornat:

Hinc nam Francorum magni Regis HLUDOVICI
Militiæ primis adſcriptus pene ſub annis
Ex ipſo digne ſummo ſublatus honore,
GENTIS SAXONUM *mox ſuſcepit* COMITATUM.
Ac cito majoris donatus munere juris,
Principibus ſit par, DUCIBUS *ſed nec fuit impar.*
Quinque ſuos omnes vicit pietate parentes.
Non minus inſignis pompa vincebat honoris.

Princi-

Agius noſter Ludolfum clarius *ex nobiliſſimo genere Saxonum ortundum* & *Ducem Orientalium Saxonum* vocat. Priores dignitates a Ludovico Pio, quem per *Hludowicum magnum Francorum regem*, ut a Ludovico Germanico diſtingueret, deſignat, Ludolfum accepiſſe Roſvitæ facile credimus. Eadem tamen inferius, ubi enarrat, quod Ludovico Regi juniori in uxorem data ſit Luitgardis filia Ludolfi addit:

Filius illius, cujus dono Luidulfus,
Suſcepit primum propria gentis dominatum.

Atque ita Ducatus dignitatem a Ludovico Germanico in Ludolphum collatum eſſe affirmat. Roſvita porro indicat, ſuaſu matris *Æde* Odam cum marito Ludolfo Monaſterium Puellarum in Brunteshuſen, mox Gandershemium delatum, conſtruxiſſe, ejusque Abbatiſſa ut fieret filia Hathauuda, decreviſſe: miſſam ideo eſſe puellam Herivordium ut ibi ab Abbatiſſa veneranda educaretur.

Tali, pergit, *divinum meditati ſunt famulatum*
Niſu Luidulfus, Conjux inſignis & ejus.
Poſthæc acceptis proprii ſcriptis ſenioris
Scilicet almifici Regisque pii Ludovici
Ejus permiſſu cum non modico comitatu
Romam pergebant ſanctique patris viſitabant
Ædem muneribus dignis precibusque benignis
Ipſius auxilio depoſcentes ſua vota
Juxta velle Dei ſeſe perſolvere poſſe.
Iisdem temporibus poſſedit Papa beatus
Sergius Eccleſiæ primatum namque regendæ.

Narrat deinde Papam votis Conjugum annuiſſe & *corpora ſanctorum Pontificum Anaſtaſii & Innocentii* conceſſiſſe in Saxoniam deportanda. Extant Litteræ hac de re Sergii Papæ in Bodonis ſyntagmate Gandershemenſi pag. 481. & integrius Scriptor. Brunſuic. T. II. pag. 371. ex quibus diſcimus Cœnobii Gandershemenſis inſtitutionem primam non Luidolfo, ſed patri fortaſſe ejus aut avo deberi, Ludolfumque ſolum opus inchoatum perfeciſſe. Sergius enim ait, *dominum atque invictiſſimum Regem ſuum Hlodouuicum* ipſi mandaſſe, *ut pro Cœnobio, quod avus & ejus poſtea cariſſimus genitor in honore omnipotentis Domini dedicaverint*, de Sanctorum Chriſti Corporibus largiretur. Ludolfus Dux eadem fere de itinere ſuo Romano refert in Charta apud Bodonem pag. 481. & dicit, ſe anno 853. indictione I. Romam iviſſe litteris *Ludvici Romanorum Regis invictiſſimi ad Sergium Papam acceptis.* Charta ipſa data eſt *anno ab incarnatione dominica 856. indictione 4.* Sed multa ſunt, quæ ſuppoſititiam hanc Chartam evincunt. Neque enim tunc, ut alia prætercam, *Regis Romanorum* titulus notus erat, neque etiam Ludovico tunc in Germania regnanti Romæ quicquam juris erat. Adde, anno 853. non *Sergium*, ſed *Leonem IV. Papam* ſediſſe. Sergio tamen II. res ſacras moderante cum Romam iverit, factum id eſſe debuit circa annos 844. 845. aut 846. His quippe Sergius Romanæ ſedi præfuit. Annaliſta Saxo ineditus ſcribit, Ludolfum *anno 848. Monaſterium in Bruneſterhuſa inchoaſſe*, quod deinde Gandersheimium translatum eſt. Hoc cum ſine dubio ex veteri authore hauſtum ſit, & dotationis Charta ſuppoſitia data feratur tertio poſt Romanum iter anno, ſuſpicamur, Ludolfum anno 845. Romam iviſſe. Nulla deinde usque ad annum obitus, qui Chriſti erat 864. mentio illius invenitur. Ad eum vero Chronicon breve S. Galli: *Ebachard, Liutolf, Erchanker, Liutfrid, Ruddolf, regni Principes, obierunt.* De patre Ludolfi Ducis veteres nihil nobis commemorarunt. Recentiores fluctuant. Botho in Chronico Saxonum Picturato varias ad annum 816. ſententias hoc modo affert: *Hertoge Brun Hertoge Wyprechtes* [quem Witechindo M. natum refert] *ſone to Saſſen und eyn Her to Engeren, de name to ener fruwen eyns Herren dochter van der Roten Fan, de het Suſanna, de telde ome eynen ſone de het Ludeleff, de wart de erſte Hertoch to Saſſen upp duſſe ſit der Weſer, und dem Harte, ſo dat duſſe ſone Ludeleff inkrech beyde land to Saſſen. Itlike de ſchriven duſſes Ludeleffes vader de hebbe geheten Walprecht und Bruno. Itlike de willen dat Walprecht unde Bruno hebben twey broder geweſen, unde Bruno hebbe duſſes Ludeleffs vader geweſen, wu dat is, ſo quam jo duſſe Hertoge Ludeleff de Ganderſchem buwede van duſſer eynen, doch van deme Bruno holdet de meyſten Croneken de warhafftich ſyn.* Aliqui itaque Ludolfum ſtatuêre filium Wicberti Witechindo nati, alii Wicberti e filio Brunone nepotem; pro Brunone authoritas aliquot Chronicorum facit. Chronicon Ducum Brunſuicenſium rhythmicum Saxonico idiomate conſcriptum etiam pro Brunone eſt, dum canit:

Van Gandersheim uns de Kroneke ſecht,
Wo dat diſſe Hertoge gar gerecht
Hertogen Wedekindes kunne
Eyn Forſte ſint de lif gewonne
De was Brun genant.
Ok deit ſe uns mer bekant
Dat van diſſen Brune worden geboren
Eyn hoger Here uterkoren.
Ludolff der Forſte was genant.

Everhardus in Carmine de Fundatione Gandersheimenſi cap. 2. ejusdem eſt ſententiæ:

Nu, inquit, *ſchulle gy hören unde merken rechte*
Von deſſulven groten Heren [Ludolfi] *ſlechte*
Alſo ik wol an der warheid hebbe bekant,
Van eynen groten Heren de was Brun genant,
Van eyn Hertoghe geborn
Von deme ek ſede hir vorn
Ludolf was ok derſulve Herr genant.

Vide-

Videtur ſecundum hæc Ludolfus fuiſſe filius Brunonis & nepos Witechindi. Brunonis filium Ludolfum quoque facit Bodo in ſyntagmate Gandersheimenſi: *Fundatori, ajens, nomen Lutholfus fuit, genus autem ex Saxonum principibus, quinimo Saxonum ipſe dux princepsque potentiſſimus, utpote, cui ex Witechindo Saxonum principe - - - - - origo fuit.* Poſt pauca addit: *Totius itaque Saxoniæ Dux & Princeps Lutholfus ex patre Brunone, quam fuit genere nobilis, tam bonitate & vita moribus etiam claruit.* Hoc notabile eſt, quod Bodo dicit Ludolfum *originem traxiſſe ex Witechindo:* nun tamen Witechindum claris verbis avum ejus conſtituit, ut alii fecêre. Per mares enim Ludolfum non deſcendiſſe ex Witechindo, concludas ex Witechindo hiſtorico, qui Henrici Aucupis conjugem *Mathildem de genere Witechindi Ducis fuiſſe* refert, non omiſſurus, ſi & Henricus ab eo veniſſet. Interim tamen aliquid veri ſubeſſe poteſt. Erat tempore Witechindi Ducis clarus inter Saxones *Bruno Dux Angariorum*, qui Witechindo conjunctus, ſecundum Annales Loiſelianos & reliquos, ſe anno 775. Carolo M. coactus ſubmiſit. Botho in Chronico Pictur ato hunc eundem *Bernonem* vocat, ejusque conjugem *Haſalam*, quod nomen ex *Giſela* corruptum videtur, fuiſſe tradit. Verba ejus, e vetuſtiore authore ſine dubio hauſta, hæc ſunt: *Konigh Wedekint to Engeren, cyn Hertogh to Saſſen de nam Koningh Syfrides ſuſter to Dennemark - - - - - unde ſe het Geva, de telde ome twoy Kinder, cynen ſone de het Wypert, und cyne dochter de het* HASALA, *de nam enen edelen van Saſſen, de het* BERNO; *ſin vader was cyn van den twelf Edelinge der Saſſen, unde toch mit Wedekint in Dennemarke, do he vor Konigh Karle ſloch ut Saſſen.* Ad Danos autem ſe Witechindus, ſecundum Annales veteres & Poëtam Saxonem recepit anno 777. rediit vero & cum baptiſmo Caroli gratiam conſecutus eſt anno 785. Brunonem tamen ſocerum in fuga ſecutum, cum ſe ſemel Carolo ſubmiſiſſet, vix credo, præcipue cum infra oſtendetur, illum jam Chriſtianis ſacris initiatum fuiſſe. *Geva* nomen, quod uxori Witechindi tribuitur, non diverſum eſt ab illo *Gerbergæ*, quod in filia Ludolfi repetitur. *Brunones* etiam aliqui in ejus familia occurrunt, non vano indicio Ludolfum ex Brunone deſcendere, quod & confirmant bona in Angaria, ut poſtea videbimus, poſſeſſa. Interim ætas Ludolfi, & tempus, quo inclaruit, aliquam intermediam adhuc perſonam requirunt, ut ita non filius, ſed nepos Brunonis fuerit. Neque enim veteribus hic ſilentibus ex uno Brunone duos, patrem nempe & filium ex ingenio facere placet. In Angaria ſub initium ſeculi noni bona ampla habuit, & in Francia Saxoniaque inclaruit ECBERTUS. Annales Loiſeliani & Metenſes referunt, an. 809. *Egbertum Comitem* miſſum eſſe adverſus Danos ad conſtituendam ſuper ripam fluminis Sturiæ in loco Eſſesfleth civitatem. Idem *Egbertus Comes* anno 811. quo & Saxones in Gallia exules in patriam reduxit, in pactione cum Hemmingo Dano ex parte Francorum juravit, iisdem Annalibus teſtibus. In Translatione S. Puſinnæ cap. 2. vocatur *clariſſimus Comes & Dux.* In Uffingi Actis S. Idæ cap. 2. dicitur, *Carolum M. eum cunctis Saxonibus, qui inter Rhenum & Viſurgim maxima flumina inhabitant, Ducem præfeciſſe.* Uxor illi fuit IDA, quæ ſanctitatis poſt obitum fama innotuit, & vivens marito perſuaſit, ut *Hirtzfeldiæ* ad Lupiam in pago Dreni Angarico *Baſilicam lapideam opere polito* in honorem *S. Mariæ ſanctique Germani* conſtrui faceret, ubi & ſepulta colitur. Uffingus Monachus Werthinenſis, qui, ut ipſe cap. 8. indicat, Acta ipſius anno 980. conſcripſit, dicit in Prologo Idam *ſummo inter ſuos loco natam ex regali ſcilicet indole SS. virginum Odiliæ & Gertrudis filiæ S. Pipini.* Uffingus idem cap. 1. refert, Carolo M. regnante, expeditionem exercitus *in Occidentem* propter Galliarum ſeditionem directam, *inter alios Orientis* ſive cis Rhenum conſtitutos proceres *præfectum Egbertum* adveniſſe, qui cum graviſſimam ægritudinem incurriſſet, commendatus fuerit ab Imperatore *cuidam de ſuis ſummis ipſius loci primatibus*, Egbertumque hujus ſui hoſpitis *filiam unicam* in uxorem ſibi tunc legiſſe, Imperatorem has nuptias approbaſſe, Egbertoque *in eisdem partibus multas poſſeſſiones de publico quatenus vicinitiori potentia ſoceris acceptior factus, non minori apud illos, quam in genitali ſolo præcelleret dignitate; inſuper etiam cunctis Saxonibus, qui inter Rhenum & Viſurgim inhabitant, Ducem præfeciſſe.* Seditio illa Galliarum forte Brittonum fuit aut Hardradi. Hæc ſecundum Annales Francicos & Poëtam Saxonem contigit anno 785. illa an. 786. Eo itaque tempore Egbertus Idam ſibi deſponſavit. Ex Francica gente *Idam* fuiſſe, clare ſatis ex dictis apparet. Nullo enim alio modo *a S. Gertrudis* & *S. Odiliæ familiis* deduci poterit. A S. Gertrudis familia Carolus M. deſcendit, & quidem hoc modo:

B. Pipinus Major domus Auſtriæ, Ux. Itta ex Aquitaniæ Principibus, fundatrix Cœnobii Nivalenſis.

- S. Gertrudis, Sanctimonialis Nivalenſis.
- Begga, uxor Anſigiſi Ducis Auſtraſiæ.
  - Pipinus Major domus Auſtriæ.
    - Carolus Martellus Major domus Auſtriæ.
      - Pipinus, Rex Francorum.
        - Carolus M. Imperator.
          - Ludovicus Pius, Imperator.
            - Carolus Calvus, Imp.
      - Bernhardus Comes, quem Vita S. Adelardi *fratrem Pipini Regis* vocat.
        - 1. Adelardus Comes Palatii & poſt Abbas Corbejenſis.
        - 1. Theodrada marito juncta poſt Abbatiſſa Sueſſionenſ.
        - 1. Gundrada Sanctimonialis Pictavis.
        - 1. Bernarius Monachus Corbej.
        - 2. Wala Comes & Abbas Corbej.

Probariones non addimus, quia eas dilucide ſatis in inſigni opere Origioum Familiæ Franciccæ Buccenus exhibuit, noſque hac opera levavit. Quærendus vero oobis jam eſt, per quem *S. Ida*, cui oomen in memoriam *Ida* matris *S. Gertrudis* datum fuiſſe non vane inſpiceris, cum majoribus familiæ Carolinæ connectatur. Et commode admodum occurrit THEODERICUS COMES, quem Annaliſta Laureshamenſis expreſſis verbis *propinquum Regis* Caroli vocat. Videtor is in *Ripuaria* ad Ruram atque ita in finibus Saxoniæ Comitatum habuiſſe; ibi enim anno 803. copias collegiſſe & eum iis adverſus Saxones moviſſe eidem Annaliſtæ dicitur. Anno 791. *Saxones & Friſios* in exercitu Caroli adverſus Hunnos duxit, & ab iis reduxit. Anno 793. cum iterum Carolo copias in Pannoniam adducere vellet, *ea juxta Wiſaram & quidem in pago Riuſtri a Saxonibus interceptæ ſunt & deleta*, iisdem Annalibus teſtibus. Poſt hæc nulla ejus mentio occurrit, ut adeo paulo poſt mortuum eſſe credibile ſit. Ubi autem poteſtatem præcipue exercuit Theodericus, ibi mox Ecbertus Idæ maritus comparet. Hic ergo Theodericus pater Idæ neceſſario coſtitoeudus eſt. Sed & oeceſſario uxorem ex familia Caroli M. habuiſſe debuit, cujus cauſa *Caroli M. propinquus* fuit & Ida ipſa *S. Gertrudi* admoveri poteſt. Nec ea deeſt. S. Idam *unicam filiam* patris ſui fuiſſe apud Uffingum legitur. En vero tibi THEODRADAM Adelardi & Walæ ſororem, filiam Bernardi Carolu Martello nati, quæ etiam, antequam Sueſſionenſis Monaſterii regimen ſuſciperet, viro juncta & *uno partu fœcunda* fuiſſe dicitur. Verba ipſa Gerhardi ſcriptoris coætanei, qui Vitam Adelardi compoſuit, afferre libet. Is fratres & ſorores Adelardi recenſens inter cætera: *Reliqui vero duo*, inquit, *videlicet Bernarius noſter & Theodrada ſoror ejus Deo devota, quæ* JAM REDDITO FRUCTU NUPTIARUM *ſecundum caſtimoniæ gradum arripuerat, ad pedes Jeſu cum Maria domi ſedebant: illa quidem* SUESSIONE *ſanctimonialium regens vitam: iſte &c.* Bernardus, Theodradæ pater, duas uxores habuit unam, ex qua oati illi Adelardus, Bernarius, Theodrada & Gundrada, quæ unde fuerit, mox exponemus; alteram *Saxonici generis*, unde *Wala Abbas* editus. Hic enim aliquoties *ex genere Saxonum* fuiſſe dicitur apud Paſchaſium in Vita Walæ lib. I. c. 12. 13. 16. Unde & fratri Adelardo erigendæ in Saxonia *Corbeja novæ* primus author fuit, ut Paſchaſius annotat. Idem *Wala* Cœoobit Herivordienſis conſtitutionem cum ſorore *Theodrada* procuraſſe videtur. Extat & a Paullinio edita eſt vita B. Waltgeri, Comitis, in qua pro filia unica hoc Cœnobium eum inſtituiſſe & dotaſſe refertur. Sed cum filia illa ibidem *Swala* appelletur, ea voce ad *Wala* nomen alludi certum eſt. Non enim is cum fratre ſolum, uti jam monui, Monachos, ſed etiam Moniales in Saxoniam introduxit. Paſchaſius de eo lib. I. c. 12. ſcribit: *Hinc eſt, quod in Saxonia tam unanimes tamque devoti nova plantationis germina plantaverunt & utriusque ſexus a fundamento Cœnobia, favente Domino, conſtruxerunt.* Quibus clare fundatio Corbejenſis & Herivordienſis innuitur. *Theodradam* vero maximas in inſtitutione Herivordienſis Cœnobii partes habuiſſe, vel inde concludas, quod illud *ad exemplum monaſterii Sanctimonialium in Sueſſionis civitate exiſtentium* fundatum ſub Ludovico Pio fuiſſe filius hujus Ludovicus Germanicus in Diplomate anno 853. dato & a Mabillonio Sec. IV. Benedictino T. I. p. 526. ſq. Schatenioque in Annal. Paderbornenſibus edito confiteatur. Si tamen verum eſt, uti id quidem eſſe poteſt, *Waltgerum Comitem* bona fundando Monaſterio conceſſiſſe ejosque filiam unicam ei præpoſitam deinde fuiſſe; ejus nomen *Tetta* vel *Theodrada* fuit: priori enim modo prima Herivordienſis Abbatiſſa vocatur in diplomate Ludovici Pii anno 838. dato apud Schatenium, poſteriori occurrit in Catalogo Abbatiſſarum apud Paullinium Diſſert. Hiſtoric. p. 32. & re ipſa *Tetta* contractum eſt ex *Theodrada*. Conjecturis porro ſi indulgere vellemus, non ſane prorſus ſpernendis, dicere poſſemus, patrem Waltgeri Comitis *Deddam* (cujus nomen ex *Theodericus* contractum eſſe, *Dedones* Miſniæ Marchionum ſatores docent, qui re ipſa *Theoderici* vocati ſunt & *Theodericus* ſive *Dedda* noſter forte idem eſt cum Theoderico Saxone, cum quo Carolomanno anno 743. & 744. negotium fuit) Ecwi maritum & patre *Adolpho* natum, habuiſſe ſororem quæ ex Bernardo *Walam* pepererit. *Wala* nomen ex illo *Walderici* contractum eſt, & notari meretur patri Waltgeri tribui fratrem *Waldericum* ſeu *Uldaricum*. Videatur Wigandi Vita Waltgeri & Schatenius Annal. Paderborn. ad an. 825. *Theodradus*, qui converſionis gratia in Galliam venit, & a parentibus locum pro Cœnobio Corbejæ novæ impetravit, in quo & poſtea monachum egit, indice Gerardo in Vita S. Adelhardi n. 44. & Translatione S. Viti n. 5. etiam *ex genere Wala* fuit, quod & Mabillonius obſervavit; & poterit is Walderico oatus fuiſſe. Omnia itaque hactenus demonſtrata in Tabula ita exhiberi poſſunt:

Carolus Martellus.				Adolfus.		
Pipinus Rex.		Bernardus ex prima Conjuge.	ex altera.	N. filia.	Waldericus vel Wala.	Dedda vel Theodericus an. 743. 744. clarus.
Carolus M.	Theodericus Caroli M. propinquus.	Theodrada Abbatiſſa Sueſſion.	Wala Abbas.		Theodradus Monachus Corbejenſis.	Waltgerus Comes Herivord. Cœnobii dotator.
Ludovicus Pius, Imp.		S. Ida Ecberti Ducis uxor.				Tetta vel Theodrada prima Abbatiſſa Herivord. an. 838.

Quod *Ida* porro ex *indole* ſive *familia S. Odilia regia* deſcenderit, ut Uffingus indicat, in clariore luce collocandum eſt. Facem nobis in obſcuriſſimis ſeculi octavi tenebris accendit Ludovici Pii filius Lotharius Imperator. In Diplomate enim in Palatio regio Argentoraco, anno 848. dato & a Guillimanno in Epiſcopis Argentinenſibus cap. V. edito is dicit, *Ruadrudem S. Stephani in ambitu infra muros Argentorati abbatiſſam majeſtatem ſuam adiiſſe, offerentem obtutibus ſuis auctoritates & munimina chartarum*

rum illuſtris parentela ſuæ progenitoris Ducis Adalberti, qui ſundaverit jam dictum locum. Adalbertum hunc *fratrem S. Odiliæ & filium Ethiconis I. Alemanniæ Ducis* patrem vero *Attalæ Abbatiſſæ S. Stephani Argentoratenſis* fuiſſe ex Vita S. Odiliæ apud Mabillonium, & fragmento ejusdem vetuſtiſſimò apud Vignierium in Alſaticis manifeſtum eſt. Nec fugit hiſtoriarum peritos, *parentes* denotare *agnatos* aut *conſanguineos*, atque ita *parentelam* eſſe *agnationem* aut *conſanguinitatem*. Jam vero Lotharii Imperatoris agnati ſive conſanguinei *illuſtres* non alii intelligi poſſunt, quam *Adelardus*, Bernarius, Theodrada & Gundrada, quorum ex patre frater erat *Wala Abbas*, Lotharii etiam adverſus patrem ejus Ludovicum Pium amicus. Vita S. Odiliæ inter filias *Adalberti Ducis* recenſet etiam GUNDLINDAM & indicat, eam amitæ ſuæ S. Odiliæ exemplum ſecutam monaſterio ſe mancipaſſe. Vignierius addit, eam in inferiori Hohenburgo ſive Nidermunſter præſediſſe. Sed nomen filiæ Bernardi Comitis *Gundrada*, cujus nomen ad illud *Gundlinda* alludit, mihi ſuſpicionem injicit (quoniam de alia Adalberti filia, quæ viro nupſerit, non conſtat) eam ipſam maritum habuiſſe Bernardum. *Adelardi* quoque nomen ad illud *Adalberti* alludit, & in poſteris Adalberti Ducis recurrit, ut oſtendimus in peculiari Libro, quo Originem familiæ Auſtriacæ ab Etichone Duce Alemanniæ ſolidis argumentis derivamus. Ut tamen Biographo S. Odiliæ ſatisfiat, ponit Gundlinda primo apud amitam educata, deinde vero in matrimonium Bernardo data eſſe. Abbatiſſam enim fuiſſe Vignierius coætaneis teſtimoniis non demonſtrabit. Prodit hinc talis cum Lothario Imp. connexio genealogica:

Eticho Dux Alemanniæ.

S. ODILIA. — Adalbertus Dux Alemanniæ.

Gundlindis. — Attala Abbatiſſa S. Stephani Argentor.

Bernardus Comes, ux. I. Gundlindis filia Adalberti Ducis Alemann. ux. II. N. Saxonica, amita Waltgeri dotatoris Cœnobii Herivordienſis.

1.	1.	1.	1.	2.
Adelardus Comes Palatii & Abbas Corbej.	Gundrada Sanctimonialis apud S. Radegundem Pictavienſ.	Theodrada Abbatiſſa Sueſſionenſis, antea uxor Theoderici Ducis Ripuarii.	Bernarius Monachus Corbej.	Wala Abbas Corbejenſis.

S. IDA uxor Ecberti Ducis.

S. Idam ex Odilia deſcendiſſe veriſimile etiam redditur ex eo, quod filiam, ut oſtendemus, *Addilam* habuiſſe videatur, cujus nomen idem eſt cum nomine *Odiliæ*. Quoniam autem non alio, quam a nobis expoſito modo ad *S. Odiliæ* familiam referri poteſt S. Ida, per matrem nempe Theodradam Theoderici Ripuarii uxorem patre Bernardo Comite fratreque Pipini Regis natam, inde quoque iterum origo illius a *S. Gertrudis* familia, confirmatur. Ex matrimonio *Idæ & Ecberti Ducis* natum eſſe WARINUM Abbatem Corbejæ Novæ, graviſſimum habemus authorem Translationis S. Puſinnæ deſcriptorem, qui ſeculo nono vixit. Is cap. 2. dicit: *Quo in Monaſterio* [Corbejæ Francicæ] *primus Abbas* [Corbejæ novæ] *ab iisdem venerabilibus* [Adalardo & Wala] *inſtitutus eſt Warinus, nobiliſſimo genere propagatus: Fuit enim genitus Ecberto clariſſimo Comite & Duce, & matre ſplendidiſſima nomine Ida, tam natura muneribus & generoſitatis, quam elegantia morum, cujus* [nempe Warini] *fratres adæque clariſſimi viri, magnis dignitatibus illuſtres & apud exteros & apud domeſticos emituerunt.* Warinum hunc Abbatem, primùm militem & ſponſum quoque fuiſſe, ſed vitam monachicam ſeculari prætuliſſe, ex Libello de Inſtitutione Novæ Corbejæ apud Meibomium & Witechindi hiſtorici lib. III. diſcimus. Egilmarus Epiſcopus Oſnabrugenſis in Querela cujus Excerpta Ertwinus Erdmannus in Chronico Oſnabrugenſi conſervavit, *Warini fratrem* COBBONEM & *ſororem*, cujus nomen non addit, ABBATISSAM HERIVORDIENSEM nominat, his verbis: *Quidam Comes ditiſſimus* COBBO, *fidelis illius Imperatoris Ludowici* [Pii] *de prædictæ Eccleſiæ Oſnabrugenſis Epiſcopo quicquid voluit agero adeptus, germano ejus nomine Werin in Monaſterio Huxarienſi tunc temporis Abbate, & ſorore ejus in puellarum Cœnobio Herivordenſi Abbatiſſa degentibus, quantum voluit de decimis, quæ ad eundem Epiſcopatum pertinebant, tradi fecit ad eadem Monaſteria.* Quando Cobbo hic obierit, non annotatum eſt. Nam, quod Erdmannus refert, Cobbonem anno 883. deceſſiſſe ad nepotem potius illius ex ſorore, ut videbimus, pertinet. Dies obitus *III. Aprilis* forte rectius ad noſtrum Cobbonem refertur, qui liberis caruiſſe videtur, in poteſtate ejus alias ſucceſſuris. *Warini Abbatis & fratrum ejus ex ſorore neptis* in Translatione S. Puſinnæ c. 2. fuiſſe dicitur HADVIGIS ABBATISSA HERIVORDIENSIS. Egilmarus in Querela modo citata *Warini & Cobbonis* SOROREM etiam ABBATISSAM HERIVORDIENSEM fuiſſe refert. Uterque fidem meretur. Dicendum itaque ſororem Warini & Cobbonis marito primum junctam fuiſſe, & viduam demum regimen Monaſterii Herivordienſis, Tetta prona Abbatiſſa defuncta, ſuſcepiſſe, quod moribus iſtorum temporum congruit. Nomen ergo ejus ADDILA fuit, in memoriam *S. Odiliæ* & neptis ejus *Attala* datum. Ludovicus enim Rex Germaniæ *Addila Abbatiſſa Herivordienſi* donationes ejus Monaſterio factas anno 853. notabili diplomate, quod Schatenius in Annalibus Paderborn. exhibet, confirmavit, ubi ſimul docetur, Ludovicum Pium Imp. *Heriſordenſe Cœnobium ad exemplum Monaſterii Sanctimonialium in Sueſſionis civitate exiſtentium* exſtrui juſſiſſe. Quis Addilæ hujus maritus fuerit, nemo in litteras retulit. Notabilis tamen

occur-

occurrit Wittichiodi locus, ubi is Annal. libri III. initio: *Et revera*, inquit, *cum eſſet magnus valde exercitus, triginta ſcilicet duarum legionum, non eſt inventus, qui ſemino non uteretur pileo niſi Corbejus Abbas nomine Bovo, cum tribus ſequacibus. Hic erat vir ſapiens ac clarus, a Deo nobis oſtenſus, non conceſſus. Hujus patris avus Bovo Græcas litteras coram Chonrado Rege legendo factus eſt clarus, & huic ejusdem nominis avus erat, ut natu major omni virtute ac ſapientia potior, ſed & ipſe nepos erat Warini, qui ex milite factus eſt monachus & primus omnium apud novam Corbejam regulariter electus eſt in patrem.* Primus itaque, qui hic nominatur BOVO *nepos Warini* fuit, & quidem neceſſario per ſororem; Nomen enim Bovonis in familia Warini Abbatis non occurrit. Unde omnia hoc modo in ordinem redigenda erunt.

Ecbertus Dux
Idæ maritus.

Warinus Abbas Corbej. — Addila nupta N. poſt Abbat. Herivord.

[Children of Addila:] Hadvigis Abbatiſſa Herivord. — Cobbo Comes. — N. filius.

[N. filius:] Bovo, nepos Warini.

[Bovo, nepos Warini:] N. — Bovo Abbas Corbej. †. 916.

[N.:] Bovo, qui litteras Græcas coram Conrado Rege legit.

[Bovo:] N.

[N.:] Bovo Abbas Corbej. Witichindo memoratus, quem Annaliſta Saxo inedi-tus anno 949. in flore ætatis defunctum prodit.

Addidimus hic & pronepotem Addilæ fecimus *Bovonem Abbatem Corbejenſem* anno 916. ſecundum Annales Corbejenſes defunctum; quia nomen indicat, eum ad hanc familiam pertinuiſſe nec alibi locum habere poteſt. Fecimus etiam *Hadvigis Abbatiſſa*, quæ S. Puſinnam ex Gallia Hervordiam transferri curavit, *fratrem* COBBONEM COMITEM; quia id clariſſimis verbis aſſerit author Translationis S. Puſinnæ, ubi cap. 3. ſcribit: *Horum ergo* (Warini Abbatis & fratrum) *neptis, utpote ex eorum ſorore genita: patre viro ſpectabili & valde inclyto, ad regimen Heriſordenſis Monaſterii, venerabilis Haduini divino nutu promota, & divino amore & majorum ſuorum exemplis, tanquam quibusdam ſtimulis æmulationis, incitata; cum deſideraret, tam ſancta religionis devotione, quam patrocinio ſanctorum Monaſterium, quod ſusceperat, illuſtrare, propoſuit pia intentione, quanquam difficile impetratu videretur, excellentis Caroli Regis ſuper hoc auxilia flagitare: non enim aliter, quolibet in loco regni ejus Sanctorum pignora forent, ea ſe conſequi poſſe videbat. Erat autem aditus ad ipſum, ſive* CONSANGUINITATIS GRATIA, cum EI TERTIO QUARTOQUE COGNATIONIS GRADU JUNGERETUR, *ſive quod majores ejus multa familiaritate ac liberalitate memorati Principis uſi eſſent*, tum etiam quod FRATER EJUS COBBO *in Palatio quotidianis ejus adhærebat obſequiis, & etiam quod pretioſiſſimis ſæpe donatus ab eodem fuerat muneribus, non minimum ejus animos accendebat, & ne titubaret in aliquo jus inolitæ familiaritatis effecerat.* Factam deinde petitionem ad Carolum Calvum & corpus S. Puſinnæ, *anno 860. indictione octava* impetratum author Translationis porro indicat. Ex verbis autem ejus concludas, *Hadvigem* non multo ante Abbatiſſam factam eſſe. Ex eo vero, quod de *inclita familiaritate* cum Carolo Rege refert, conjicias Hadvigem in Gallia aliquando commoratam, & forte apud Sueſſiones vel in Monaſterio Kalenſi inſtitutam fuiſſe. Ante omnia memorabile eſt, quod dicitur *Hadvigem* Carolo Calvo *tertio quartoque cognationis gradu junctam* ſive duplici vinculo conſanguinitatis connexam fuiſſe. Si tertio conſanguinitatis gradu cum Carolo Calvo conjuncta fuit Hadvigis, neceſſario avus ejus aviaque Caroli vel avia ejus avusque Caroli uno patre geniti fuere. Avus Hadvigis a parte matris Ecbertus Dux erat, avia Ida, ſed cujus connexio cum Caroli familia tertium gradum excedit; avus aviaque ex parte patris nobis ſunt ignoti, ſed Saxones cum Carolingis nihil commune habuerunt. Caroli Calvi avus paternus erat Carolus M. avia Hildegardis Sueva, qui iterum huc non pertinent; avus maternus Welfus Bavarus natione; hanc etiam connexionem facere nequit. Unde ejus author neceſſario fuit avia Caroli materna, Welfonis uxor, nomine HEGILWIGIS, ſive quod idem eſt, HEDEWIGIS vel HADWIGIS; & certum nobis eſt, eam Saxonici generis fuiſſe. Theganus cap. 26. *Sequenti*, ait, *anno accepit* [Ludovicus Pius] *filiam Welfi Ducis, qui erat de nobiliſſima ſtirpe Bavarorum & nomen virginis Judith, quæ erat ex parte matris nobiliſſimi generis Saxonici, eamque Reginam conſtituit.* Nomen matris Judithæ author Translationis S. Bathildis Reginæ cap. 1. prodit his verbis: *Anno viceſimo imperante cum magna felicitate Hludovico Sereniſſimo Auguſto in regno Francorum venit Kala monaſterium, ubi venerabilis Abbatiſſa* HEGILWICH, *genetrix Judith Imperatricis magno gregi Sanctimonialium præerat.* Ea, ut hinc etiam apparet, poſt mariti obitum Abbatiſſa Kalenſis monaſterii facta eſt, & calculo jam accurate ſatis deducto, ſoror Ecberti Ducis conſtitui debet. *Warinus* itaque *Abbas novæ Corbejæ* a *Ludovico Pio Imp.* in diplomate

mate Corbejenſibus anno 838 Ingelhemii dato, quod Schatenius in Annalibus Paderbornenſibus publicavit, propriiſſime *propinquus* vocatur, uti hoc, & tertii gradus conſanguinitas inter Hadvigem & Carolum ex ſchemate ſequenti patet.

Bruno Angariæ Princeps
ux. Giſela filia Witichindi.

Ecbertus Dux.
ux. Ida.

Hegilwich vel Hedewigis
ux. Welfi Ducis.

Warinus Abbas Corbej.

Addila uxor N. Principis Saxonici.

Juditha uxor Ludovici Pii Imp.

Hadvigis Abbatiſſa Herifordienſis.

Carolus Calvus.

Ad quartum quod attinet *gradum*, Hadvigis Abbatiſſa non alio modo jungi potuit Carolo Calvo, quam mediante Theodrada Theoderici Ducis Ripuarii uxore, ut tabella ſequens oſtendit:

Carolus Martellus.

Pipinus Rex.

Bernardus Comes.

Carolus M.

Theodrada ux. Theoderici Ducis.

Welfus Dux. — Hegilwich.

Ecbertus Dux Saxoniæ. — S. Ida.

Ludovicus Pius. — Juditha.

Carolus Calvus.

Addila uxor N. Principis Saxonici.

Hadvigis Abbatiſſa Herivordienſis.

Licet enim Hadvigis hic in quinto demum gradu Carolo jungatur, Carolus tamen Hadvigi in quarto gradu connectitur. Hæc nos feliciter explicuiſſe ſcimus. Sed ulterius progrediendum eſt. Vidimus fratrem Hadvigis COBBONEM in aula Caroli Calvi notum & familiarem, is fuerit, quem Erdmannus anno 883 obiiſſe tradit, ſiquidem ille non fallit. Ejus filius fuerit *Cobbo* vel *Choppus*, cui Arnulfus Rex anno 890. hobas XXX. in loco Piun donavit, qua de re Schatenius in Annalibus Paderbornenſibus Diploma e Tabulario Corbejenſi produxit. Idem etiam poteſt eſſe *Cobbo Comes* qui anno 921. ex parte Heinrici Aucupis pacto Bonnenſi interfuit, & cujus filius nothus *Thiatboldus* anno 938. occiſus memoratur apud Witechindum hiſtoricum lib. II. pag. 645. Interim hactenus unicum ſaltem Warini Abbatis fratrem *Cobbonem* & Addilam ejus ſororem cum ſua poſteritate vidimus. Anthor tamen Translationis S. Puſinnæ notanter dicit, *Warini* FRATRES *adæque clariſſimos viros, magnis dignitatibus illuſtres & apud exteros & apud domeſticos enituiſſe.* Locum integrum jam ante attulimus. Cobbo itaque fratrem domi & foris celebrem habuiſſe debuit; & quis celebrior, eodem cum Cobbone tempore, LUDOLFO SAXONIÆ ORIENTALIS DUCE? Militaverat is a prima juventute in exercitu Ludovici Pii, ab eo Comes & a Ludovico Germanico deinde Dux Saxoniæ Orientalis conſtitutus erat, cum Cobbo Occidentali Saxoniæ præeſſet. Hic igitur, ſi conjecturis vel maxime veriſimilibus ſtandum, Ecberti Ducis filius etiam fuit. Nec argumenta alia deſunt. Ludolfus filiolum ſuum in Albis defunctum *Hirtzfeldia* in Eccleſia *penes S. Idam ſepeliiſſe* traditur in Actis S. Idæ lib. I. cap. 9. Et quid confeſtius, quam ſepultura liberorum apud parentes vel avos. Ibidem author Actorum indicat, *Hirtzfeldiam hereditaria ſucceſſione* poſt fata Egberti & Idæ ab aliis & inter hos a *præclaro Comite Ludolfo poſſeſſam fuiſſe.* Lib. II. cap. 1. prodit idem, *ſub Rege Arnulfo Locum illum* [Hirtzfeldiam] *juri fuiſſe addictum excellentiſſimi Ducis Ottonis, (qui,* inquit, *hujus Sereniſſimi Auguſti Ottonis* [II.] *extitit proavus) & ab hoc Hogerum Abbatem ipſam regiam curtem aliis repenſis poſſeſſionibus juxta legalem ritum cambiiſſe.* Agius ipſe in Vita Hathumodæ cap. 6. narrat, Hathumodæ decumbenti *venerabilem amitam ejus, quamvis jam grandæva fuerit & ſenio confecta*, quantum dolor permiſerit, indefeſſe adſtitiſſe. Titulus *venerabilis* Epiſcopis, Abbatibus & Abbatiſſis proprius eſt. *Soror* igitur *Ludolfi Ducis Abbatiſſa* fuit. Cum autem non aliud in Saxonia tunc Monaſterium fuerit ſanctimonialium, quam Herivordienſe, ſequitur ſororem Ludolfi fuiſſe *Abbatiſſam Herivordienſem* & quidem *Addilam*, quam etiam ſororem Warini & Cobbonis fuiſſe demonſtravimus. Senio confecta videtur illa Abbatiam ſuam filiæ viduæ Hadvigi reſignaſſe, & apud fratrem inſtitutionem novi Monaſterii Gandershemenſis juvaſſe, reliquumque ætatis in ejus familia tranſegiſſe. Sic omnia optime cohærent. Dedimus itaque Ludolfo fratrem Ecbertum, parentem Brunonem Angarium, ſed & avus addi poteſt ex non improbabili conjectura. Wigandus B. Waltgeri encomiaſtes conſervavit nobis Epiſtolam Gregorii Papæ ad Bonifacium, in qua genuina quædam videntur, cum conſtet Bonifacium Altſaxonum (ita noſtræ & Weſtphaliæ regionis incolas vocat) cordi habuiſſe & inter Epiſtolas ejus una ad Altſaxones directa extet. Gregorii vero Epiſtola hæc eſt: *Gregorius,*

Servus Servorum Dei Reverendiſſimo Fratri & CoEpiſcopo BONIFACIO *Apoſtolicam benedictionem. Benedictus Dominus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum magnam miſericordiam ſuam, & per prædicationem tuam Saxoniam regeneravit, in ſpem vivam, & Principes ejus*, COVAM *ſcilicet ut &* RULEWICH, ULDERICUM & DEDDA *eduxit de tenebris ignorantiæ in admirabile lumen ſuum, ita, ut nunc ſint Deo populus acquiſitionis, eo quod per fidem, quam a Te ſuſceperunt, agnoſcant faciem æterni luminis. Epiſtolam a Tua Dilectione tranſmiſſam* DENEHARDUS *Presbyter præſentavit, per quem, pronunciante Archi-Diacono* STEPHANO *de titulo* S. SUSANNÆ, *audivimus, in Saxonia operarios paucos eſſe verbi Dei, quodque meſſis multa pullulaverit. Quapropter a latere noſtro* DODONEM *de titulo* PASTORIS, *ut Principibus memoratis in verbo Dei præſit, deſtinamus, illique curam prædicationis in vice noſtra committimus. Ceterum Dilectiſſime, arbores illas, quas incolæ colunt, monemus, ut ſuccidantur, ſicut ſubvertiſti arborem, quæ Jovis appellatur, quæ ab incolis venerabatur. De ſequacibus etiam* ADELBERTI & CLEMENTIS *eliminatos de Eccleſia Te pronunciare volumus, quos etiam per Nos & a Beato Petro anathematizatos in futurum diem æterni Judicis, & a Congregatione juſtorum ſcias eſſe ſecluſos, niſi reſipiſcant. Data prid. Kal. Jul. ad Sanctum Paulum.* Quis hic *Rulewich* ſit, nondum ſcio. Sed *Uldericus* & *Dedda* fratres ſunt, & ultimus quidem Waltgeri Comitis, ut vidimus, pater. *Cove* idem nomen eſt, quod *Cobba* vel *Cobbonis*; &, cum hoc nomen in familia Egberti Ducis ſæpius recurrat, non abſurde is pater Brunonis Angariæ conſtitui poſſet. Sed ita is & filius Bruno jam diu ante Witichindum Chriſtiani fuiſſent, quod & creditu facile eſt, cum de baptiſmo tanti Principis veteres Caroli M. rerum deſcriptores nil habeant, qui tamen *Albionis* vel *Abbonis* cum Witechindo fonte luſtrico tincti mentionem non omiſêre. Stemma igitur Ludolfi Ducis paternum hoc ex antea demonſtratis prodit.

Cobbo Comes
Chriſtianus factus tempore S. Bonifacii.

Bruno Angariæ Princeps. Ux. Giſela, filia Witechindi.

- Ecbertus Dux Saxoniæ. Ux. S. Ida, filia Theoderici Ducis & Theodradæ, quæ nata Bernardo fratre Pipini Regis & Gundlinda filia Adelberti Ducis Alemanniæ. Per patrem illa ex familia S. Gertrudis, per matrem ex familia S. Odiliæ deſcendit.
  - Warinus Abbas Corbej. Ludovici Pii propinquus.
  - Cobbo Dux Saxoniæ Occidentalis.
  - LUDOLFUS Dux Saxoniæ Orientalis.
    - Hadvigis Abbatiſſa Herivordienſis, Carolo Calvo tertio & quarto generationis gradu juncta.
    - Cobbo Comes. †. 883.
      - Cobbo Comes 890. 921.
        - Thiatboldus nothus †. 938.
  - Addila nupta N. Principi. Poſt Abbatiſſa Herivordienſis.
    - N. filius.
      - Bovo nepos Warini Abbatis.
        - N.
          - Bovo, qui litteras Græcas coram Conrado Rege legit.
            - N.
              - Bovo Abbas Corbej. †. 949.
        - Bovo Abbas Corbej.
- Hegilwich vel Hedvigis Ux. Welfi Ducis, mater Judithæ Imperatricis, avia Caroli Calvi.

Ex materno genere) Mater Hathumodæ & uxor Ludolphi Ducis fuit ODA. Roſuita in Carmine de Fundat. Monaſterii Gandershemenſis de ea:

Cui conjux ergo fuerat prænobilis Oda
Edita Francorum clara de ſtirpe potentum
Filia Billungi cujuſdam principis almi
Atque bona fama generoſa ſcilicet Æda.

Nomen Billungi in familia Saxoniæ noſtræ Billingana obvium fit, quæ olim in Oſtphalia plurima bona habuit; & cum Ædæ potiſſimum ſuaſu Ludolfus & Oda Gandersheimii Monaſterium extruxerint, non vana omnino ſuſpicio eſt, plura ipſi in Oſtphalia bona per Odam uxorem Ædæ filiam adveniſſe. Traditiones Fuldenſes ineditæ hactenus in Traditionibus Saxoniæ inter cætera habent: *Billunc & Bennicho tradiderunt S. Bonifacio bona ſua ob remedium animæ fratris ſui Rudrati, quæcunque habuit in villa Orda in pago Hardegewe provincia Saxonia.* Benno, Bennicho & Bennith eſt contractum ex *Bernhardus*, quod nomen etiam familiæ Billinganæ frequentatum fuit. Utriusque Bennithi & Billungi patrem fuiſſe AMALUNGUM docet nos Codicillus Bennithi a Browero Antiqu. Fuldenſ. Lib. III. c. 12. p. 217. publicatus, ex quo ibi legitur: *Bennith Comes Saxonicus, patre Amalungo natus, cum Saxonum factionem patriamque fidei poſthabet, patrem ſecutus Carolo gratioſus evaſit in paucis. Pater Amalungus agrum Waldesbech inter Wiſaram Fuldamque incolens; terrarum quod ex Buchonia ſaltu occupavit, novando arandoque ad eximium cultum provexit. Filius heres, patre mortuo, Caroli nutu interveniente, patriam hereditatem pie legavit; quæ ſoli cul-*

ut

ri tantum habuit, ut duas leucas circa Viſurgim ambiret. Integra Traditio facta, ubi Bennithus pacata Saxonia, avita bona recepit, extat in Traditionibus ineditis modo citatis. *Amalungum* ego non diverſum ſtatuo ab *Amaluuione*, ut Annales Loiſeliani, ſive *Amaluuino*, (ut incerti Authoris Vita Caroli M.) *Miſſo Caroli M*, qui Witichindo & Abboni perſuaſit, ut ſe ſubmitterent & Chriſtianam fidem ſuſciperent. Poëta Saxo eum *quendam vernaculum aulæ Carolinæ* vocat. Lubet integram rei geſtæ ſeriem ex Annalibus Laureshamenſibus repetere. Scribunt illi ad an 785: [Carolus M.] *in pagum nomine Bardengau proficiſcitur: ibique audiens, Witikindum & Albionem eſſe in Transalbina Saxonum regione primò eis per Saxones, ut, omiſſa perfidia, ad ſuam fidem venire non ambigerent, ſuadere cæpit. Cumque ipſi facinorum ſuorum ſibi conſcii, Regis fidei ſe committere dubitarent, tandem accepta ab eo, quam optabant, impunitatis ſponſione, atque impetratis, quos ſibi dari precabantur, ſuæ ſalutis obſidibus, quos eis Amaluuinus unus Aulicorum a Rege miſſus, adduxerat, cum eodem ad ejus præſentiam in Albiniaco villa venerunt, atque ibi baptiſati ſunt.* Omnes reliqui veteres Annaliſtæ cum Laureshamenſibus hac in re conſentiunt. Notari meretur, pleraſque Billinganorum veteres poſſeſſiones in pago Bardengau, ex quo Carolus Amaluuinum ſive Amelungum ad Witechindum miſit, ſitas fuiſſe. Et credibile eſt Franco fidem non habiturum fuiſſe Witechindum, ſi talis ad ipſum veniſſet. Optimo ergo conſilio Amalungus delectus eſt, gente Saxo, ſed ob fidelitatem præſtitam in Francorum numerum aulæque proceres receptus. Æda, quæ Billungi, Amalungo nati, uxor fuit, unde orta fuerit, ignoratur, magnæ tamen nobilitatis & Franca fuiſſe debuit, quæ a Roſvita ſpeciatim *generoſa* nominatur. Unde *Oda* Hathumodæ mater jure meritoque potuit dici orta eſſe *ex nobiliſſima Francorum proſapia*, ſive, ut Roſvita canit, *Edita Francorum clara de ſtirpe potentum.* Hoc ergo eſt Hathumodæ ſtemma maternum:

Amalungus Saxo ſed inter Francos receptus & Caroli M. miſſus.

Bennith vel Bernhardus Comes, qui forte pater fuit *Wicmanni* anno 811. a Carolo ad Danos miſſi, & Billinganorum Principum Satoris, a quibus in recta linea Principes Iſenghienſes, adhuc florentes, deſcendere, obiter noto.	Billungus Comes. Ux. Æda. Oda uxor Ludolfi Ducis. Hathumoda.

Oda de cætero nomen repetitum eſt in nepte ejus, Ottonis ducis filia *Oda*, quæ Zuentebaldo Regi Lotharingiæ nupſit, & ex eo mater fuit (ut Miræus in Chronico Belgico ad annum 900 aſſerit) *Benedicta & Cæcilia* Abbatiſſarum ex ordine Suſterenſium. Cum vero tunc nondum in morem iviſſet, ut nomina Latina liberis Germanorum inderentur, ſuſpicor *Benedictæ & Cæciliæ* nomina quoque ex Germanicis Latine facta, & ſorores has revera dictas fuiſſe *Odam & Blitrudem*. Prior in *Blitrudis* nomine ſyllaba aſſonat voci *blint*, cæcus, & inde Cæliciæ nomen fingendi occaſio data. *Oda* exprimit *Benedictam* ſcilicet opibus, h. e. *beatam, divitem, opulentam*. Gothis enim veteribus *audags*, Alamannis *odeg* & *otag*, Anglo-Saxonibus *eadig* eſt *beatus, benedictus, fortunatus, dives*; quod vel Gloſſarium Gothicum Junii amplius edocebit. Mabillonius ſec. Benedictino IV. Part. II. p. 570. oſtendit *Euticium Abbatem*, cujus Johannes in Vita S Odonis Cluniacenſis meminit eundem eſſe cum *Benedicto Abbate Anianenſi*, a quo *Concordiam Regularum & Ordinem Monaſticæ converſationis* conſcripta ſcimus. Reddidit ergo & is Germanicum *Eutic* vel *Otig* nomen per Latinum *Benedicti*. Conjecturam autem noſtram de filiabus Zventebaldi & Odæ Ottone Saxoniæ Duce natæ confirmat membrana vetus in Monaſterio S. Maximini Trevirenſi inventa, in qua nomina Cognatorum aut contemporaneorum Ottonis M. Imp. in Eccleſiam Trevirenſem beneficorum annotantur. Ibi enim inter cætera etiam *Uoda & Blitrudis* conjunctim leguntur, quas adeo easdem cum *Benedicta & Cæcilia* Abbatiſſis Suſterenſibus eſſe non amplius dubito. Membranæ hujus inſigne fragmentum edidit Alexander Wilthemius S. J. Diptychi Leodienſis pag. 29. 30. nosque illud inde decerptum Lectori benevolo & veterum monumentorum curioſo communicamus. *Otto. Athalbeit. Arnolt. Otto. Mahtild. Walburg. Fritharun. Amalric. Ricvvin. Riguuo. Baltharun. Euvrard. Berenger.* - - - - - - - - - - *Heinric. Winatheri. Thedrauan. Walchuſi. Alfhuſi.* - - - - - - - - - - *Voda. Blittrud. Liutbraht. Meginburg. Riſolf. Ida. Richilt. Liuthard.*

Bruno archiepiſcopus.	*Aluan item.*
Wiefribt epiſcopus.	*Waldolf.*
Berhardus epiſcopus.	*Blizo.*
Willekelm epiſcopus.	*Ruotbraht.*
Folcmar.	*Reginolt.*
Tiediribe.	*Ropilo.*
Euracear epiſcopus.	*Ergeſ.* Vel *Frigeſ.*
Regnibolt.	*Chriſtian.*
Werinberi.	*Wiman Monachus.*
Baſco. Aluan.	*Engilbraht Monachus.*
Teutlin.	*Engilram Monachus.*
Wihman.	*Reginbolt.*
Tolraht.	*Guidger Monachus.*
Meginberi.	*Adelboldus Epiſcopus.*
Werin.	*Giſilbertus Monachus.*
Virdum.	*Richeri.*

Grenoanbraht.	*Alfrat.*
Helmrich.	*Bertſuint Abbatiſſa.*
Athalbraht,	*Heilwig Abbatiſſa.*
Richolf.	*Gerbrich Abbatiſſa.*
Suitger.	- - - - - - - - - - - - -

Frater ejus Regum neptem in matrimonio habet) Frater Hathumodæ, hic indicatus, erat *Otto Dux*; nam *Bruno* ſi regiam neptem in matrimonin habuiſſet, authores id in morte ejus pro patria anno 880. ipſi illata non tacuiſſent. Chronicon Picturatum hinc Ottoni *Lucardam* vel *Luitgardam* Arnulfi Imp. filiam uxorem tribuit, eumque recentiores ſequuntur fere omnes, interque eos, quod miror etiam Buccetius & Sammarthani, ſeducti a Browero Antiqu. Fuld. lib. II. c. 7. ſcribente, in margine MSti Reginonis ſe inveniſſe Henricum Aucupem natum fuiſſe *ex Luitgarda filia Arnulfi Imp.* Sed hanc omnes veteres ignorant. E contrario vero Ditmarus, qui hæc optime noſſe potuit, de Henrico Aucupe lib. I. *Hic*, ait, *nobiliſſimo Ottonis & Hathui ſtemmate editus.* Verum ergo nomen illius HADVIGIS fuit. Necrulogium Fuldenſe obitum *Ottonis Ducis* in annum 912. refert, & ad annum 903. habet: *Hadawich Comitiſſa*, quo ſine dubio Ottonis Ducis uxor indicatur. Duces enim & Comites tunc promiſcue dicebantur. Jam cum illa *neptis Regum* fuerit, debuit neceſſario neptis aut filia ſororis fuiſſe Ludovici Germanici & Caroli Calvi. Hi enim tunc Reges erant. Inter omnes vero filias ſororum fratrumque Ludovici & Caroli nulla *Hadvigis, Hedvigis* vel *Heidevigis* occurrit, ſi excipias GISELAM uxorem EVERHARDI *Comitis & Marchionis Forojulienſis*, qui *Berengarium Imp.* progenuit, & Monaſterium Ciſonienſe fundavit. In Hiſtoria Ciſonienſis Eccleſiæ a Dacherio ſpicilegior. T. XII. pag. 496. ſq. tres Chartæ *Giſela* hujus Everhardi uxoris exhibentur, in quarum poſterioribus duabus Carolum Calvum *Germanum ſuum* vocat, & huic compellationi ſemper modeſtiæ cauſa addit, *ſi dicere audeam.* Alias enim certum eſt ex Agnelli, qui hoc tempore vixit Vitis Pontificum Ravennatum pag. 477. Carolum Calvum & Giſelam ex uno eodemque patre & matre natos eſſe. *Antequam*, inquit, *moreretur Auguſtus, diviſit imperium ſuum inter Reges filios ſuos. Ceſſit Lothario Auguſto maxima pars, Pipino Aquitaniæ regnum, Ludovico Bajoariæ: hi Ermengarda filii. Carolo vero plus fertilem & opimam largitus eſt partem & Filiam Giſelam ſuam tradidit marito Curado* [leg. *Eurado*] *nomine. Hunc & hanc Judith Auguſta parturiit.* Poëta Berengarianus hinc Berengarium Giſelæ filium *Arnulfi progeniem* ſive ejus cognatum vocat. Et Annales Fuldenſes *Unroci Giſela nati filiam*, quam Luitwardus Epiſcopus Vercellenſis pro nepote ſuo rapi fecerat, *propinquam Arnulfi* appellant; ipſum vero Berengarium Caroli Craſſi *conſanguineum & cognatum.* Johannes VIII. PP. eundem *regia proſapia ortu* prodit. Ipſe Berengarius in diplomatibus Carolum M. *proavum* & Ludovicum Auguſtum *conſobrinum* ſuum nominat. Sed tres Giſelæ hujus (quæ nomen ſuum forte ſortita eſt ab *abavia* Giſela, Witechindi M. filia) Chartas integras inſerere lubet.

Donatio Giſlæ ad ſepulturam.

Auctoritas antiquorum ſanctorum Patrum patenter oſtendit, quod quicunque pro amore Domini ſive pro anima ſua, vel conſanguineorum ſuorum remedio ad loca Sanctorum de proprio jure ſuo aliquid delegaverit, cum Dominus dicat in Evangelio, Theſaurizate vobis theſauros in cælo Matth. VI, 20. & iterum: Luc. XII, 33. Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt; theſaurum indeficientem in cælis: remunerationem ſibi in cæleſti patria a Domino reddendam confidere poteſt in die qua dicturus eſt: Venite benedicti & poſſidete regnum Patris mei vobis paratum ab origine mundi, Matth. XXV, 34. Quocirca ego in Dei nomine GISLA dum cogitans de Dei timore, vel hujuſmodi retributione pro ſepultura tam mea, quam pignorum meorum cunctaque cognationis meæ, in uſus luminarium Baſilicæ Monaſterii a me in Ciſonio perfecti, manſos octo in pacto altaris ejuſdem nominata, tradidiſſem, ac poſtea juxta frontem Baſilicæ ipſius Oratorium in fratrum Cimiterio ſub honore Sanctæ Trinitatis conſtruens, in dotis titulum altaris hujus Oratorii manſum unum, bunnariorum X. per chartæ traditionem obtuliſſem; quoniam pius Dominus deſiderium meum ita conſolari dignatus eſt, ut pignora corporis Senioris & conjugis mei dulcis memoriæ Evrardi per coadjutoris filii mei UNROCH ſolatia ab Italicis partibus delata mihi conferens, in ipſo Oratorio apud idem altare juxta deſiderium voluntatis meæ ſepelire permiſit, pro amore ipſius Domini ac pro anima prædicti Senioris mei remedio addo ad uſus luminarium jam fati Oratorii manſum unum cum bunnariis terræ XII. in pago Medenentiſſe in villa Nivilla ſitum. Conſentiens etiam utrique duorum filiorum meorum ADALARDO atque RODULFO de partibus prælatis deſcriptis, poſt obitum meum ſibi cedendis, unum pro ſupra ſcripta ratione manſum in uſus luminarium præfixorum concedere, Adalardo ſcilicet in ſupra dicto pago villa Wakeslare dicta manſum unum cum integritate ſua. Rodulfo quoque in pago Tornacenſe villa nomine Greſſinie manſum unum cum integritate ſua: in ea quidem ratione ut a præſenti die hæc omnia a cuſtodibus Orotorii ipſius habeantur, teneantur, atque poſſideantur, vel quidquid ad honorem hujus ex his agere lex canonica decreverit, libero indultum ſit arbitrio faciendi. Si quis vero, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſa (quod abſit) aut ullus heres ac pro heredibus meis quislibet vel ulla oppoſita aut extranea perſona, qui contra hanc traditionem venire aut infrangere voluerit, inferat ibi dupliciter quantum iſta epiſtola continet; & inſuper inferat ad partem fiſci auri uncias V. argenti libras 10. multa componat, & quod repetit vindicare non valeat: ſed præſens hæc traditio firma & inviolata permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. Actum Fivis mallo publico Kal. Jul. anno XXXV. regnante Carolo Rege glorioſiſſimo. Signum GISLÆ, quæ hanc traditionem fieri & confirmari rogavit. Signum REINHELINI Epiſcopi. Signum ODELRICI Comitis.

GISLA

GISLA dat filiis ſuis quædam ad dominium ſuum pertinentia, & iis defunctis illa poſſidebit Ciſonſenſe Monaſterium.

Placuit mihi in Dei nomine Giſlæ de rebus quas ſereniſſimus ac piiſſimus Rex Karolus meus, ſi dicere audeam, germanus, cum exigente Senioris mei dulcis memoriæ negligentia in domino ſuo redactæ eſſent, viduitati meæ compaſſus, & habitus mei mutationem conſolatus, conſervatas per ſuæ ſublimitatis Præceptum largiflua pietatis ſuæ clementia mihi reſtituere atque augmentare dignatus eſt cum ſuo conſultu, primo apud Monaſterium fiſci Ciſonii in honore Domini noſtri & Salvatoris ſanctæque MARIÆ ejusdem Genitricis a me ſitum, quo venerandus Martyr Chriſti Caliſtus requieſcere dignoſcitur, pro remedio animæ meæ de ipſis rebus partem aliquam tradere diſpoſui, ac demum ceteras res a me in Galliis habitas inter tres infantes meos RODULFUM videlicet & BERENGARIUM, nec non & te, dulciſſime fili ADELARDE, per ſingulas portiones dividero: Atque ut in poſterum ratum ſit parti cuique quod traditum eſt per ſcripturam volatus legaliter obligare. Dono igitur tibi, fili dulciſſime Adelarde, fiſcum nomine Summinium in pago Hoſtrevant ſitum, quæ mihi jam ſatus Rex piiſſimus, & ſi dicere audeam, germanus meus Karolus florente pietatis ſuæ munificentia dono tribuere dignatus eſt: ſcilicet præter Capellam cum manſis IX. quæ apud ſupranominatum Monaſterium in uſus Fratrum ibidem Deo militantium tradidi, quidquid ad hunc fiſcum pertinere videtur tui juris eſſe concedo. In ea vero ratione ut poſt diſceſſum tuum ad jam dictum Monaſterium cum omni integritate veniat, hoc eſt manſum dominicatum cum terris arabilibus, bunaria videlicet CLXXIX. pratorum bunaria XXXII. ſilvæ bunaria DLXI. atque huic ſervientia XCIII. ſimul etiam terræ bunaria IV. omnem, ut dictum eſt, fiſcum exceptâ Capellâ prædictâ cum manſis IX. ad integrum de meo jure in portionem tuam transduco & conſtituo. In ea vero ratione ut quamdiu Domino volente advixero ſub mea poteſtate cenſeatur; poſt animæ vero meæ a corporis ergaſtulo abſolutionem eumdem fiſcum nomine Summinium, ſalva ratione Capellæ & ſupra nominatorum IX. manſorum cum omni integritate habeas, teneas atque poſſideas quamdiu advixeris, liberam ac legalem in omnibus Domini protegente clementia habeas poteſtatem, ac poſt tuum obitum, ſicut ſuperius mentionem fecimus, ad locum jam dictum cum omni integritate veniat, & nullus fratrum tuorum vel conſanguineorum ſibi ex hoc uſurpare præſumat. Si quis autem eorum aut ego, quod abſit, ſive ullus parentum noſtrorum, ſive aliqua extranea perſona hanc donationem refutare voluerit ab omni Eccleſia alienus appareat donec reſipiſcat; & inſuper cui litem intulit auri libras C. argenti libras CC. legali judicio perſolvat, etſi amplius repetierit, nullo obtinere conſenſu valeat; ſed præſens donatio firma futuris temporibus cum ſtipulatione virorum nobilium perdurare valeat perpetualiter inconvulſa. Actum Victreiaco villa publica, facta traditio, data XVII. Kal. Maji. Indict. 1. in anno XXIX. regnante domino noſtro Karolo Rege glorioſiſſimo.

GISLA confirmat quæ pro ſepultura contulit Ciſonienſi Eccleſiæ, additque nonnulla.

Dum inter fluctus - - - - - - - - - Quapropter ego in Dei nomine GISLA dum res a Seniore meo præcelſæ indolis EVRARDO perditas, & a piiſſimo Regum Karolo, meo ſi fari audeam olim germano, mihi reſtitutas ſub aſſenſu ejus, tam ad Monaſterium in fiſco Ciſonio ſitum quam inter viſcerum meorum dilectiſſimos filios diſtribuiſſe viſa fuiſſem, ac poſtmodum Oratorium ad frontem matris Eccleſiæ in honore Sanctæ & individuæ Trinitatis in eodem fiſco ad ſepulturam meam & quietem erexiſſem, cariſſimo meo RODULFO conſulens de portione ejus quam ſibi per charta firmamentum tradideram, altari hujus Oratorii in honore S. Martyris Chriſti Apollinaris dedicato dotis honorem facere diſpoſui, quod ita ſimul cum illo me feciſſe manifeſtum eſt. Donamus itaque ego in Dei nomine GISLA & filius meus cariſſimæ indolis RODULFUS ad prædicti Oratorii Sanctæ & individuæ Trinitatis altare in honore ſancti Martyris Chriſti Apollinaris dedicatum, de rebus, quas ſupra diximus, Rodulfo cedendis in dotis titulum, manſum 1. in Canſinio ſitum, & de terra arabili in Grecione conſiſtente bunaria X. ea ratione ut a die præſenti idem locus ad quietem meam vel filiæ meæ INGELDRUDIS præparatus, hæc in uſus luminarium cum illis quæ ad obedientiam hujus ſepulturæ diſpoſita ſunt habeat, teneat, atque poſſideat, vel quidquid exinde facere voluerit, liberam ac firmiſſimam habeat poteſtatem faciendi.

Si quis vero (quod futurum eſſe non creditur) ſi noſmet ipſi, quod abſit, aut ullus ex heredibus ſeu ſucceſſoribus noſtris, vel aliqua extranea perſona hanc noſtræ ſpontaneæ donationis cartulam refringendo violare conatus fuerit, ſi ab hac præſumptione manum non ſubtraxerit, præſentem & æternam pro hoc divinæ ultionis ſentiat vindictam; parti oratorii, cui litem intulerit, auri libram I. argenti pondo L. coactus exſolvat, & inſuper quod repetit ne vindicet, ſed magis præſens traditionis noſtræ chartula futuris temporibus firma & inconvulſa permaneat, tam noſtris quam ceterorum virorum illuſtrium, quorum nomina vel ſignacula ſubter tenentur inſerta manibus roborata. Actum fiſco Ciſonio apud Monaſterium in ipſo loco ſitum ſub die IV. Non. April. anno incarnati Verbi DCCCLXX. Indic. III. anno XXXI. regnante domno & sereniſſimo KAROLO, meo (ſi dicere audeam) germano Rege glorioſiſſimo. Nos in Dei nomine GISLA & filius meus RODULFUS hanc donationis chartulam ſcribere juſſimus, & manibus propriis ſubter firmavimus. S. ADELARDI.

Inter filias Everhardi Marchionis Forojulienſis & Giſelæ Ludovico Pio natæ HEILWICH, quod idem eſt ac *Heidevig*, *Hadvigis* vel *Hathui*, repetitis vicibus nominatur in ipſo Eberhardi Teſtamento, quod primus omnium Miræus in Codice Donationum cap. 21. & deinde etiam Dacherius Spicil. T. XII. pag. 490. ſq. juris publici fecerunt. Apud Dacherium pro *Heilvich* male *Herlving* & *Heilving* ſcribitur. Sed ipſum Teſtamentum addemus ex Miræi editione.

TESTAMENTUM EVERADI COMITIS.

EGO EVERADUS Comes, cum conjuge mea GISLA, decrevi qualiter noſtri infantes, quandoque poſt obitum noſtrum, prædium noſtrum inter ſe, abſque aliquo impedimento vel animoſitatis jurgio, a nobis diviſum rationabili executione particulatim cum mancipiis cæteriſque mobilibus, quæ ad nos pertinere videntur, poteſtate habita deinceps obtinere debeant.

Primogenitus namque noſter UNROCH volumus ut habeat quidquid in Langobardia & in Alamannia de proprietate habere videmur, cum omnibus quæ ad ipſam proprietatem pertinere videntur, ut ſupra diximus, tam in Langobardia, quam in Alamannia, præter Balguinet, & ea quæ ad eam pertinere videntur.

SECUNDUS quoque BERENGARIUS volumus ut habeat cortem in Anaſpis, cum his omnibus, quæ ibi pertinere videntur, præter Grecinam, & cortem noſtram Hildidam in Haſbanio, cum omnibus quæ adjacent ei, & quod habere videmur in pago Condieſtrim volumus, ut habeat.

TERTIUS ADALARDUS volumus ut habeat cortem noſtram in Ciſonio; & Cantinium, cum omnibus quæ ad ipſam eccleſiam in ſupra dicto loco Ciſonio, pertinere, diſpoſui, in tali tenore ut ipſam eccleſiam eo ordine, quo ego conſtitui ſemper cuſtodiat, & nihil auferri de iis quæ ei dedi permittat, per ſe aut per quemcumque & Summinium cortem noſtram.

QUARTUS RODULPHUS volumus ut habeat Vitrei, Vuis, Meſtueha, cum omnibus ſupradictis locis, quæ pertinent præter eccleſiam Vitry, quam ad eccleſiam noſtram cum omnibus quæ pertinent in Ciſonio pertineri cenſui. Et volumus ut habeat quod in Scelleburd habere videmur, quod Maorid dudum habuit, & omnes res noſtras quæ conjacent in Comitatu Taſſandrio. Ita hanc diviſionem peragere volumus, ut ſi minus Adalardus aut Rodulphus de manſis habuerint quam Berengarius de Anaſpio adæquare, inter eos cum mancipiis quæ ſuperſedent debeant.

Hæc diviſio omni modo inter eos ut ita permaneat, volumus, excepto ſi aliquis Rex Langobardorum, vel Francorum, vel etiam Alemannorum, quod abſit, & fieri non credo, alicui eorum de ſupradictis germanis ſuam proprietatem ita a nobis diviſam per violentiam ſine cauſa abſtulerit, tunc volumus quod reſiduum fuerit, ut convenientes in unum æqualiter inter eos dividant illud.

De filiabus vero noſtris volumus ut INGELTRUD habeat Ermen & Mareſſem: JUDITH vero volumus ut habeat Balgingam & curtem noſtram in paga Moila, quæ vocatur Heliſſem. HEILUINCH vero volumus ut habeat Hoſtrenheim & Luiſinga, & Wendoſſa, & unum manſum in Engereſteim.

TALEM autem Legem de ſupradictis rebus eſſe cenſemus, ut ſi quiſquam eorum adverſus alium aliter contentioſe ſurrexerit, præter quod nos inde ordinavimus aut in publico placito citatio mallaverit, præſumptor ille, quia contra noſtram voluntatem ire auſus fuerit, componat, cui calumniatus fuerit, auri libras mille.

De paramento autem noſtro volumus ut habeat primogenitus noſter UNROCH ſpatam unam, cum aureis bilcis & cuſpide aurea, & Faculum unum de auro & gemmis, Baltheum unum de auro & gemmis, ſpourones duos de auro & gemmis, veſtitum unum de auro paratum, Mantellum unum de auro paratum, cum fibula aurea & alteram ſpatam volumus ut habeat, Urceum cum aqua, Manile argenteum unum, ciphum aureum unum, ciphos eburneos duos, Bruniam unam, Helmum unum, & Manicam unam ad ipſum opus, Bembergas duas, Mortariolum argenteum unum, cum pitillo. De paramento vero Capellæ noſtræ Ciboreum cum Cruce aurea, & capſa aurea, & Calicem aureum cum patena, Coronam auream cum ligno Domini, Crucem auream cum criſtallo ſuper Ciboreum, Planetas duas, unam auro paratam, alteram de cendalo, Dalmaticam auro paratam, tres pannos ſuper altare, auro paratos, duo Phylacteria in cruce pendentia, Evangelium de auro paratum, Sia aurea, Armillas duas auro paratas, Miſſale cum auro & argento paratum, lectionarium ſimiliter, Urceum cum aqua, Manile argenteum unum, Thuribulum argenteum unum, Pipam auream unam, Tabulas eburneas auro paratas, Pectem vero auro paratum unum, Flavellum argenteum unum, Capſellam eburneam unam, Candelabra argentea duo: hæc volumus ut ſupradictus filius noſter primogenitus habeat.

SECUNDUS BERENGARIUS volumus ut habeat Spatas duas, unam cum bilcis argenteis, & aureis ſimul, Facilum de argento & auro unum, Baltheos aureos cum gemmis duos, Spourones aureos duos, Veſtitum auro paratum unum, alterum Facilu.ã cum gemmis aureum, Ciphos cum cornu & argento cum auro, duos, Scutellas argenteas duas, Cochlearia argentea duo, Bruniam unam, Helmum unum, Manicam unam. De paramento Capellæ noſtræ, Altare argento paratum unum, Calicem eburneum cum patena auro paratum unum, Capſam eburneam auro paratam unam, Phylacterium de criſtallo cum auro paratum unum, Evangelium eburneum unum, Lectionarium ſimile paratum, Miſſale ſimile, Commentarium ſimile, Antiphonarium ſimile, Smaragdum ſimile paratum, Thuribulum argenteum unum, Planetas duas, unam variatam, alteram de cendalo, Dalmaticam variatam unam ſericam, ſimile pallium ſuper altare unum, Tabulas ad canendum, auro & argento paratas: hæc volumus ut ſecundus Berengarius habeat.

TERTIUS ADALARDUS volumus ut habeat Spatas duas, unam um bilcis eburneis & aureis, Facilum ſimile, & balteos aureos duos cum gemmis, Vas ad bibendum marmoreum unum, cum argento & auro paratum. Garalem argenteum unum, Ciphum argenteum unum, Pallia duo, Garales argenteos cum binis cochleariis duos. Bruniam unum, & Helman cum Halsberga & Manicam unam, Berniuergas duas. De paramento Capellæ noſtræ, Altare de criſtallo & auro paratam unam, Calicem vitreum auro paratum unum, Calicem argenteum cum patena, Evangelium argento paratum unum, Planetam diploidam unam, de cendalo unam Dalmaticam unam, Sericam unam, Pannum ſuper altare unum, Phylacterium unum, in quo reliquiæ S. Remigii: hæc volumus ut tertius Adalardus habeat.

QUAR-

QUARTUS RODULPHUS volumus ut habeat Spatas tres, Mancoſos centum, balteum unum, Garales argenteos duos, Cochlearia tria, Bruniam unam, Manicas duas, de paramento Capellæ noſtræ Buſtcam criſtallinam cum Reliquiis, Phylacterium de almandinis & criſtallo paratum unum, Phylacterium argenteum unum, Calicem de nuce & argento & auro paratum unum, Calicem argenteum cum patena, Planetas duas, Pannum unum ſuper altare: hæc volumus ut Rodulphus habeat.

ENGELTRUD filia noſtra volumus ut habeat ſcutellam argenteam unam, & pallium unum. IUDITH ut habeat ſcutellam argenteam unam, & pallium unum. HEILWICK volumus ut habeat argenteum vas unum & pallium unum, quibus ſingulis, ne de Capella noſtra exortes eſſe viderentur benedictione, dedimus ſingula Filacteria de auro parata.

De libris etiam Capellæ noſtræ diviſionem inter eos facere volumus. Inprimis volumus, ut Unroch habeat Pſalterium noſtrum duplum, & Bibliothecam noſtram & librum S. Auguſtini De verbis Domini & librum De lege Francorum, & Ripuariorum & Langobardorum, & Alamannorum, & Bavariorum, & librum rei militaris & librum de diverſis ſermonibus, qui incipit de Elia & Achab, & librum de utilitate pœnitentiæ, & librum de conſtitutionibus Principum & Edictis Imperatorum & Synonima Iſidori, & librum De quatuor virtutibus & Evangelium & librum beſtiarum, & Coſmographiam Ethici Philoſophi.

BERENGARIUS aliud Pſalterium volumus ut habeat, cum auro ſcriptum, & librum De civitate Dei S. Auguſtini, & de verbis Domini & Geſta Pontificum Romanorum, & Geſta Francorum, & librum Iſidori, Fulgentii, Martini, Epiſcoporum, & librum Ephrem, Synonima Iſidori, & librum Gloſſarum, & explanationis & dierum.

ADALARDUS tertium Pſalterium volumus ut habeat quod ad noſtrum opus habuimus & expoſitionem ſuper epiſtolas Pauli, & librum S. Auguſtini De verbis Domini & ſuper Ezechielem Prophetam & Lectionarium de Epiſtolis & Evangeliis cum auro ſcriptum, & vitam S. Martini, & librum Aniani & volumen ſeptem librorum magni Orozii Pauli, & librum S. Auguſtini, Hieronymi presbyteri de hoc quod Jacobus ait: Qui totam legem ſervavit, & in uno offenderit, factus eſt omnium reus.

RODULPHUS volumus ut habeat Pſalterium cum ſua expoſitione, quem GISLA ad ſuum uſum habuit, & Smaragdum, & Collectaneum, & Fulgentium, & Miſſale cottidianum, quod ſemper in noſtra Capella habuimus, & vitam S. Martini, & Phyſonomiam Lupi Medici & ordinem priorum Principum.

Primogenita etiam filia mea ENGELTRUD volumus ut habeat librum qui vocatur vitas patrum, & librum qui appellatur Liber de Doctrina S. Baſilidis, & Apollonium, & Synonima Iſidori.

JUDITH volumus ut habeat Miſſale unum, qui incipit a ſermone S. Auguſtini de ebrietate, & Legem Langobardorum, & librum Alquini ad Widonem Comitem.

HEILWICH volumus ut habeat Miſſale unum, & Paſſionalem & Librum orationum cum Pſalmis & Libellum de orationibus.

GISLA volumus ut habeat librum de quatuor virtutibus, & Enchiridium S. Auguſtini.

Hæc omnia ut ſupra diximus, poſt quandoque obitum noſtrum, ut inter eos ita diviſa permaneant, abſque impedimento, volumus: ab hodierno vero die (quod nunc ita præordinavimus) quidquid de mobilibus cujuscumque rei deinceps, ſi vitam & ſanitatem Omnipotens deſuper nobis conceſſerit, acquiſiverimus, ſive in laboratione, ſeu in peculio, in prædictis, quas inter eos diviſimus rebus, ſeu beneficiis noſtris, quæ habere videmur, volumus ut ſupra omnia medietatem UNROCH filius noſter, & ceteri noſtri fideles qui interfuerunt, quando hæc ita diſpoſuimus, poſt noſtrum obitum, pro ſalute animæ noſtræ diſtribuant, tam in Francia quam in Langobardia vel Alemania, ſive in proprio ſive in beneficio, ut ſupra diximus.

SERVOS autem noſtros, quantos nobis placuerit in ſupradictis locis dimittere liberos de noſtro prædio tam in Francia, quam in Langobardia ſeu in Alemannia, volumus ut ut Liberi ſint, vel cuicumque illorum de loco in locum, dum advixerimus, voluerimus dare aliquem, in noſtra ſervamus poteſtate. Similiter de noſtra familia, qui non de prædio noſtro ſunt, ſed forinſecus acquiſivimus, volumus ut cuicumque donaverimus eos de noſtris infantibus, abſque contentione cæterorum donati ſint.

Hæc ſupra omnia, ſicut jam diximus ut ita permaneant, volumus. Ego in Dei nomine EVERARDUS Comes cum Conjuge GISLA hujus teſtamentum diviſionis fieri inter infantes noſtros inſtitui, quorum hæc ſunt nomina, UNROCH, BERENGARIUS, ADALARDUS, RODULPHUS, ENGELTRUD, JUDITH, HEILWICH coram fidelibus noſtris qui interfuerunt: quorum nomina hæc.

Adalroch nepos noſter.
Wellebertus presbyter.
Werinbertus, Lanfridus, Drumar,
Uto, Diſo, Engelhad,
Heribert, Otpert, Fredeco.

ACTUM in Comitatu Tarviſiano in corte noſtra Muſiſtro, imperante Domino Ludovico Auguſto, anno regni ejus, Chriſto propitio, viceſimo quarto.

Habemus hic *Unrochum*, BERENGARIUM, qui poſtea Rex Italiæ & Imperator factus eſt & ab Annaliſta Metenſi ad ann. 888. *Eberhardi filius* appellatur, *Adalardum*, *Rodulfum*, quem Frodoardus Hiſt. Rem. lib. IV. c. 1. *Abbatem* Ciſonienſem fuiſſe prodit, *Engeltrudem*, *Juditham* ab avia ſic nominatam, HEILUUIGEM quam noſtri *Hadvigem* & *Hathui* vocarunt, *Ottonis Ducis* uxorem, neptem Regum Ludovici Germanici & Caroli Calvi. Ea tamen cum anno Ludovici II. Imp. 24. (is enim neceſſario hic intelligendus eſt) h. e. anno Chriſti 873. nondum marito juncta fuerit, ut apparet, & tamen anno 874. jam in Ottonis conjugio vixerit, ſtatuendum eſt, Everhardum eodem, quo Teſtamentum

tum condidit, anno deceſſiſſe, & quidem 16. Decembris, quo Ciſonii ejus memoriam coli Miræus atteſtatur; & Hadvigem ſequenti anno nuptias cum Ottone Duce celebraſſe. Everhardus patrem habuit *Hunoricum* vel *Unrocum* & cum *u* hic ſonum litteræ *i* accedentem habeat, Gallis adhucdum conſueto more, hinc patet Ottonis filium *Hinricum* vel, ut conſuetius dicitur, *Heinricum*, *Aucupem* vulgo cognominatum, appellationem hanc, in propria familia inconſuetam, ab avo materno traxiſſe, quod Hadvigis originem ab Everhardo confirmat. Sed de Berengarii familia Ottonianæ connexa, quoniam hic occaſio eſt, paucis agendum. *Berengarium Imp.* Annales Metenſes, ut diximus, vocant *filium Everhardi, qui Ducatum Forojulianorum tenebat.* *Eberhardum* hunc *Ludovici Pii filiam Giſelam* uxorem habuiſſe etiam demonſtravimus. Sed ita *Berengarius Dux*, cui circa annum 835. Thegano cap. 58. teſte, Septimania ad regendum commiſſa eſt, frater Everhardi circa idem tempus viventis erit. Idem enim Theganus eundem cap. 54. *ſapientem & propinquum Ludovici Imp.* vocat; quod vix alio modo quam per Giſelam Ludovici Pii filiam Everhardo fratri junctam eſſe poterit. Aſtronomus immatura morte, h. e. in ipſa ætatis flore defunctum refert, & addit *Hunorici* (male enim *Huronici* apud Quercetanum legitur, cum alii Codices rectius *Hunroci* habeant) *quondam Comitis filium* fuiſſe. Qua ratione etiam Everardus filius Hunorici erit, cujus & nomen filio primogenito, ex more illorum temporum, indidit. *Hunroci nepos* in Annalibus Laureshamenſibus vocatur *Albigarius* anno 817. in Dalmatiam cum legatis Græcis ad componendas ibi controverſias de finibus miſſus. Natus igitur eſt ſive ex fratre ſive ex ſorore Unroci. *Everhardi* etiam Teſtamento ſubſcripſit *Adalroch nepos ejus*, cujus reſpectu ad Everhardum habito eadem ratio erit. Et veroſimile eſt, patrem ejus fuiſſe *Hunricum* vel, ut etiam in Folcardi Mirac. S. Bertini expreſſum eſt, *Henricum Comitem*, qui cum Folcuinus Epiſcopus Morinorum anno 839. Bertinianis Monachis cuſtodiam Baſilicæ S. Mariæ reſtitueret, litteris ſubſcripſit, ut teſtis. Iisdem litteris poſt Folcuinum Epiſcopum, Maximum Archidiaconum & Hugonem Abbatem ſubſcripſit *Adalbardus Monachus*, qui poſt Hugonem Caroli M. filium, Abbas factus eſt, uti Mabillonius hæc e Folcardo ad an. 839. n. XIX. nobis prodit. *Adalardum* hunc Iperius in Chron. S. Bertini cap. 13. dicit fuiſſe *filium Honroci Comitis de militia Caroli Magni.* Neceſſario igitur Everhardi Marchionis frater fuit. Idem Iperius ibidem indicat, Adalardi patrem *Unrocum* in ſenectute Monachum in Sithivenſi Cœnobio factum. *Frodoardus* l. c. meminit *Hucboldi* nati *ex filia Everhardi.* Berengarium Imp. ex Bertila conjuge habuiſſe filiam *Giſelam* aviæ ſuæ cognominem & Adalberto Eporediæ Marchioni nuptam notum eſt. Mater ea inde fuit *Berengarii II.* & avia *Adalberti Regum Italiæ*, quorum loco Otto Magnus Italiæ Rex & tandem Imperator factus eſt. In Vita Gerardi Abbatis & fundatoris Bronienſis mentio fit *Berengarii Comitis*, qui Gerardo modo nominato *cognatus & familiaris* fuit. In Charta Ludovici Reg. Germaniæ anno 908. data, quam Miræus Not. Eccleſ. Belg. c. 47. exhibet, *Berengarius* hic *Comes pagi Lommenſis* ſive Namurcenſis vocatur. Idem adhuc anno 932. in vivis fuit & in diplomate Henrici Regis Bronienſibus dato inter teſtes nominatur apud Miræum l. c. cap. 52. Hunc Berengarii Imp. fratre Adalardo natum & ſequentium Comitum Namurcenſium ſatorem credas.

En Tibi itaque Berengarii Imp. ſtemma.

Hunoricus ſ. Unrocus Comes.	N.

Everhardus Marchio Forojulienſis, Ciſonienſis Cœnobii fundator. Ux. Giſela, filia Ludovici Pii Imp.	Berengarius Dux Septimaniæ. †. 835.	Hunricus vel Henricus Comes an. 839.	Adalardus Abbas S. Bertin. an. 844. †. 864.	Albigarius Comes.
		Adalroch Comes.		

Unroch Comes.	Berengarius Imp. Ux. Bertila.	Adalardus.	Rudolfus Abbas.	Engeltrudis.	Judith.	Heilwich ſive Hadvigis, uxor Ottonis Saxoniæ Ducis.
N. Filia rapta a nepote Liutwardi Ep. Vercellenſis.	Giſela Adalberti March. Epored. uxor.	Berengarius Comes Lummenſis ſive Namurcenſis an. 908. 932				Henricus Rex Germaniæ.
	Berengarius II. Rex Italiæ.					Otto Magnus Imperator.
	Adalbertus Rex Ital.					

Francus ergo Berengarius I. Imp. ejusque majores fuerunt, quod & Hadrianus Valeſius in doctiſſimis ad Panegyriſten Berengarii notis jam dudum agnovit; & fallunt Itali atque ab iis deceptus Doctiſſimus Imhofius, qui Berengarium Longobardum fingunt, & per fictitios quosdam Principes a Deſiderio Rege deducunt. *Geminum Deſiderii Stemma* olim edidimus, nec habuit Imhofius, quæ reponeret, ut adeo *Umbraticus* ille *Doctor*, quo nomine me tunc dignatus eſt, veritatem in clara luce poſuiſſe cenſendus ſit. Ex dictis vero apparet, Conradum Urſpergenſem Hiſtoriographum alium ſecutum, & Annales Saxonicos hactenus ineditos accurate locutos, cum Henricum Aucupem *regio genere inclytum atque inde oriundum* fuiſſe referunt. Jus etiam Ottonis Ducis & filii Henrici proximum in regnum Germaniæ hinc manifeſtum fit, cum ſecundum ejus temporis morem in ſucceſſione regnorum omnino eorum ratio haberetur, qui a prioribus Regibus per fœminas deſcendebant. Nullus enim, Carolingis extinctis, regiæ ſtirpi propinquior Ottone & Henrico erat.

Soror

Soror ejus Regi filio - - - juncta eſt) M. R. P. Pezius deſcripſerat: *Soror regis Regi filio &c.* ſed hoc *Regis* in *ejus* mutandum eſſe contextus & ſeries rerum ſuadent. Soror Ottonis & Hathumodæ erat *Luitgardis* Ludovici junioris, Ludovico Germanico nati, uxor, ut Roſvita in Carmine de fundatione Monaſterii Gandershemenſis, & diploma Ludovici Junioris Scriptor. Brunſvic. Tom. II. pag. 372. atque in Leuckfeldii Antiquitat. Gandershem. pag. 95. extans teſtatur. Craſſe errat Witichindus lib. I. qui Ludovici Arnulfo nati uxorem facit Luitgardem; craſſius adhuc Aventinus, Cruſius & reliqui, qui eam filiam Etichonis Suevi fuiſſe ſtatuunt; craſſiſſime Buccetius, qui filiam Bilmari Ducis Saxoniæ & ſororem Bennonis Ducis fingit. Citat Annales Fuldenſes, ſed in iis nil tale reperitur, & ad annum 880. ibi non Benno, ſed *Bruno frater Reginæ* vocatur, qui in prælio prope Ebbekesdorfium a Normannis cæſus eſt. Ducta eſt Luitgardis a Ludovico juniore poſt annum 865. quo patrui Caroli Calvi ſuaſu dimiſit filiam Adalardi Comitis, quam patre invito ſibi deſponſaverat. Nuptias Aſchaffenburgi celebratas annotavit Gobelinus Coſmodrom. Æt. 6. cap. 42. ubi & defunctam tumulatam Analiſta Saxo ineditus memoriæ tradidit. Obiit ſecundum necrologium Fuldenſe anno 885.

Cæteri infra patriam) ſcil. conſanguinei & agnati, vel potius frater Reginæ Bruno & ſoror Enda, cujus infra in Carmine meminit. Brunonem tamen liberos reliquiſſe non puto. Nam, ſi quos habuiſſet, ii in obſcuro latere non potuiſſent.

veſtes auro paratas &c.) Integer locus deſumtus eſt ex Eſaiæ cap. III.

Litteras vero) Litterarum cultus cum religione Chriſtiana ſtatim in Saxonia effloruit. Et monaſteria erant aſceteria bonarum artium diſciplinarumque. Nec Monachi ſaltem, ſed & Moniales in operam navabant. *Hadwigi Abbatiſſa Herivordienſi* Paſchaſium Ratbertum *librum de Fide, ſpe & caritate* inſcripſiſſe ſcimus; *Oda, Hathumoda* matri, *librorum lectionem* gratam fuiſſe Agius cap. VI. prodit. Sanctimoniales plures Latinum ſermonem tunc intellexiſſe & poëtica delectatas eſſe, ex hoc ipſo Agii opuſculo ad eas conſcripto conjicias. Et poëſi paulo poſt effloruit *Roſuita* Monialis Gandershemenſis.

verberibus coguntur) Rodis tunc erat puerilis ætatis inſtitutio. Sigibertus c. 127. annotavit, Ratherium Epiſcopum tandem Veronenſem, cum adhuc Monachus Lobienſis eſſet, compoſuiſſe *librum I. de arte Grammatica* ſub rubro *Sparadorſi*, quod a *ſparen*, parcere, Latine reddas: *Parcedorſo* h. e. diſce, ne vapules. Ughellus T. IV. It. Sacr. in Appendice habet chartam Andreæ Dertonenſis Epiſcopi, qua Eccleſiæ ſuæ donat *Bibliothecam integram unam, ſuper Matthæum librum unum*, SPARACLUM UNUM, *Lectionarios tres, Martyrologium, Miſſalem unum, Anteſonario integrum &c.* Cangius *Spara-lum* hic emendat in *ſuper Marcum*, ſed hoc coactum nimis eſt. Ego puto, aut ex *Sparadorſum* corruptam eſſe vocem, aut *Sparaclunes* ad imitationem *Sparadorſi* legendum eſſe.

Heriſordenſi Monaſterio) Ibi neceſſario, ut ex antecedentibus clarum eſt, tunc præfuit *Addila* ſoror Ludolfi Ducis, amita Hathumodæ. Sed teneræ admodum ætatis necdum infantiam egreſſa fuit Hathumoda, quando Hervordiæ apud amitam nutrita. Nam Agius prodit eam anno ætatis 34. obiiſſe & anno quidem Chriſti 874. Nata ergo eſt anno 840. Et quando Ludolfus pater Romam anno 845. iret, ætatis annum quintum egit. Cum autem dicat idem author, Hathumodam noviter erecto monaſterio puellam præfectam fuiſſe Abbatiſſam, apparet, Addilam accerſitam, & ejus ductu Hathumodam porro educatam, inſtitutam & in regimine novi Monaſterii adjutam fuiſſe. Decimo autem quinto ætatis ſive anno Chriſti 852. Abbatiſſa facta eſt, ut infra demonſtramus.

Scripturarum Lectioni) In Latina lingua inſtituta, potuit ſcripturam ſacram Vulgatæ verſionis legere. Sed habebatur tunc etiam Bibliorum Codex in noſtrum idioma translatus. Poëta Saxo ſub Ludovico Pio eum jam poëticè tranſtulerat. Teſtis eſt Præfatio ejus apud Querectanum, quam tanquam notatu digniſſimam hic inſeremus. Eſt ea hæc:

Præfatio in Librum antiquum lingua Saxonica ſcriptum.

Cum plurimas Reipublicæ utilitates HLVDOVICVS *piiſſimus Auguſtus ſummo atque præclaro ingenio prudenter ſtatuere atque ordinare contendat: maxime tamen quod ad ſacro ſanctam Religionem, æternamque animarum ſalubritatem attinet, ſtudioſus ac devotus eſſe comprobatur. Hoc quotidie ſollicite tractans, ut populum ſibi a Deo ſubjectum ſapienter inſtruendo, ad potiora atque excellentiora ſemper accendat, & nocuia queque atque ſuperſtitioſa comprimendo compeſcat. In talibus ergo ſtudiis ſuis jugiter beneuolus verſatur animus, talibus delectamentis paſcitur: vt meliora ſemper augendo multiplicet, & deteriora vetando extinguat. Verum, ſicut in aliis innumerabilibus infirmioribusque rebus ejus comprobari poteſt affectus, ita quoque in hoc magno Opuſculo ſua non mediocriter commendabatur beneuolentia. Nam cum diuinorum Librorum ſolummodo litterati atque eruditi prius notitiam haberent, ejus ſtudio, atque Imperii tempore, ſed Dei omnipotentia atque inchoantia mirabiliter actum eſt nuper, vt cunctus populus ſua ditioni ſubditus, Theudiſca loquens lingua, ejuſdem diuinæ lectionis nihilominus notionem acceperit.* PRECEPIT NAMQVE CVIDAM VNO DE GENTE SAXONVM, *qui apud ſuos* NON IGNOBILIS VATES *habebatur, vt vetus ac nouum Teſtamentum in Germanicam linguam* POETICE TRANSFERRE *ſtuderet: quatenus non ſolum litteratis, verum etiam illiteratis ſacra diuinorum praeceptorum lectio panderetur. Qui juſſis Imperialibus libenter obtemperans, nimirum eo facilius, quo deſuper admonitus eſt prius, ad tam difficile tamque arduum ſe ſtatim contulit opus: potius tamen confidens de adjutorio obtemperantiæ, quam de ſua ingenio paruitatis. Igitur a mundi creatione initium capiens, iuxta hiſtoriæ veritatem quaque excellentiora ſummatim decerpens, & interdum quædam, ubi commodum duxit, myſtico ſenſu depingens, ad finem totius veteris ac noui Teſtamenti, interpretando more poëtico, ſatis faceta eloquentia perduxit. Quod opus tam lucide tamque eleganter iuxta idioma illius linguæ compoſuit, ut audientibus ac intelligentibus non minimam ſui decoris dulcedinem præſtet. Juxta morem vero illius Poëmatis, omne Opus per* VITTEAS *diſtinxit, quas nos* LECTIONES *vel* SENTENTIAS *poſſumus appellare.* Mirum eſt a Saxone præſti-

tum, quod ante eum per tantum temporis ſpatium politiſſima tunc Francorum gens ne tentaverat quidem. Utinam autem, qui nobis Præfationem hanc dedêre, Galli integrum illum librum Saxonicum in lucis auras protuliſſent, aut ſaltem, ubi lateat, indicaſſent. Magno certe omnes antiquitatum Germanicarum ſtudioſos beneficio affeciſſent. Apparet autem verſionem hanc Scripturæ Sacræ non verbalem fuiſſe; ſed authorem ſaltem compendium ejus dediſſe & Poëticè exornaſſe. Poëtica tunc erat duplex: rhythmica, in qua quantitas & menſura ſyllabarum, quæ pedes faciunt carminaque a proſa diſtingvunt, habetur; & pſeudorhythmica, in quibus certus & definitus ſyllabarum numerus ſine ſyllabarum quantitate obſervatur, & in quibus etiam rhythmi defectus ὁμοιοτελεύτων, ſimiliter deſinentibus ſonis, quos *rimas* vocamus, quodammodò ſuppletur & reſarcitur. Poſterioris generis carmina ſunt, quæ nobis Otfridus & cæteri omnes Germani ad tempora usque B. Lutheri reliquerunt, quem primum cum ὁμοιοτελεύτοις etiam quantitatem ſyllabarum definitumque numerum in Canticis obſervaſſe invenio. Et hoc genus poëmatum Opitius noſtræ gentis Virgilius tandem ad ſummam perſectionem perduxit. Prioris generis ὁμοιοτελεύτοις carentis Carmina antiquiſſima apud nos & ſeptentrionales fuêre. Eodem modo & Poëtæ Saxonis hiſtoriam veteris noviqua Teſtamenti ſive Sacræ Scripturæ paraphraſin poëticam fuiſſe ſuſpicor. Præfatio ejus modo recenſita docet nos, eam per *vitteas* h. e. *ſententias* vel *lectiones*, quas eruditi *ſtrophas* vocant, diſtinctam fuiſſe. *Vittea* vocem Gloſſographi non expoſuêre, reſtat tamen in Anglo-Saxonum monumentis, quibus, Benſonio teſte, *witte* denotat *intellectum*; ut adeo *vittea* ſit certa carminis diſtinctio, qua integer ſenſus continetur, & in quo cantus vel lectio finitur. Extat in Bibliotheca Cottoniana Codex vetuſtus Evangelicam hiſtoriam poëticè conſcriptam complectens, quem ego partem operis ſuſpicor a poëta Saxone compoſiti. Differt enim ſermo in eo expreſſus a dialecto Anglo-Saxonica & Francica dialectus ubique Saxonicæ intermixtæ invenitur ut facile appareat, opus compoſitum eſſe a Saxone inter Francos educato. Suſpicionem hanc confirmat, quod Harmonia illa Evangeliorum, uti ab Hickeſio communiter appellatur, non ſolum in Anglia extet; ſed etiam in Germania inveniatur. Id enim me docuit ſpecimen, ex vetuſtiſſimo Codice Wurtzburgenſi mihi a M. R. P. Pezio tranſmiſſum. Quod autem Wurtzburgi Codex hic inventus ſit, in aliam me conjecturam veluti trahit. Notum eſt ex Idonis Tranſlatione S. Liborii & Vita Meinwerci Epiſcopi, Eccleſiam Paderbornenſem prima ſua initia Würtzburgo debere, unde & in honore S. Kiliani, Wurtzburgenſis Patroni, extructa eſt. Cum Carolus M. Saxones ſubigeret, tertium quemque Saxonum per Franciam & alias regiones diſpergebat, obſideſque in Monaſteria inſtruendos tranſmittebat. *Hathumarus* primus Epiſcopus Paderbornenſis, Idone teſte, *de gente Saxonica oriundus, cum adhuc puer eſſet, belli tempore Carolo Imperatori obſes datus, Wirtziburgi ſervari juſſus eſt, ubi & poſtea tonſuratus ac ſtudiis litterarum traditus, in virum perfectum moribus & eruditione profecit. Hathumaro defuncto, ſucceſſit Baduradus, qui & ipſe ex hac regione, nobili ortus proſapia, ex ejuſdem Eccleſia, Herbipolenſis videlicet, clero electus eſt. Qui præclara morum nobilitatis, magnanimitatis & induſtriæ merito familiaritatem regiam intimè conſecutus, tanta dignitatis locum promeruit &c.* Quid ſi igitur, qui induſtriæ ſuæ merito familiaritatem Ludovici Pii & Epiſcopatum conſecutus eſt, ipſe paraphraſeos S. Scripturæ, unde Novum Teſtamentum ſolummodo hactenus inventum eſt, author fuiſſe dicatur? Certe ſi non ipſe illam compoſuit, debuit id feciſſe aliquis ſub ipſo & ab ipſo Ludovico Pio Imperatori commendatus. Opus poſtea ad Würtzburgenſem eccleſiam, tanquam novellæ in Saxonia eccleſiæ matrem, in memoriam beneficiorum ibi acceptorum & grati animi erga præceptores ſignum tranſmiſſum videtur, ubi poſt tot ſecula nuper iterum detectum eſt. In Angliam illud ſine dubio tranſtulit Johannes, genere Altſaxo ſive Weſtphalus, quem Alfredus Rex Angliæ accerſivit & Abbatem Æthelingienſem fecit ob doctrinæ eminentiam. Elogium ejus Mabillonius Sec. Benedictin. IV. Part. II. p. 506. ſq. inſeruit. Sed præter tranſlationem ſcripturæ poëticam extitit jam ſeculo nono Harmonia Evangeliorum Tatiani in Theotiſcam linguam tranſlata, cujus editionem doctiſſimo Palthenio debemus. Eodem ſeculo S. Scriptura verbotenus ex Latino in Germanicum ſermonem tranſlata eſt ab authore nobis jam ignoto. Invenit interim M. R. P. Pezius folium inde decerptum & alii veteri Codici agglutinatum, quod mihi benevole communicavit. In libro, quando integer fuit, primo loco extitit textus Latinus & ex adverſo ubique Germanica verſio. Sed ipſum illud fragmentum, Linguæ noſtræ cultoribus forte non ingratum addere lubet. Eſt autem illud ex Matthæi XII, 40. usque ad finem Capitis depromptum, & hujus tenoris:

Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.	*So ſelb auh, ſo Ionas uuas in uualex uuambu dri taga, enti drio naht ſo ſcaluueſan mannes ſunu, in baerda breuue dri taga enti drio naht.*
Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus, quam Jonas hic.	*Dea Ninevetis cunman arriſant in tom tage, mit desemo chunne enti gani darrent daz: huuanta ſie iro, hriuuun worahtun, ſo sie Ionas lerta. Enti ſe hear mero, danne Iona.*
Regina auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia venit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic.	*Cunincgin ſundan arrisit, in tom tage mit diſemo man chunne, enti ganidrit daz, huuanta ſiu quam fon entum lantes hrorrem uuistom Salomones enti ſee hear merò danne Salomon.*

Cum

Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca aridi, quærens requiem, & non invenit.	*So auch daer unbreino gheiſt uz argen git ſonamanne, ferit after durrem ſletun ſucbbit roa, enti ni findit.*
Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, ſcopis mundatam & ornatam.	*Danne quui dit ib buuir ſu in mim hut danan ib uz fuor, enti gubomann findit ital bus bes mon gacherit enti ga ſconit.*
Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic peſſimæ.	*Danne gengit enti ga balot ſibuni andra gheista mitnno uuir ſirun danne aer enti in gante artont dar enti uuer dant dea aſtrun, des mannes argorun dem ers rom ſo ſcal uueſan deſemo man chunne argostin.*
Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei.	*In nan diu aer daz ſprab, zadem folcbun ſee ſun muoter, enti bruoder, ſluontun, uze ſobbitun ſunga ſprabbi.*
Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te.	*Quuat nno duo em buuelib. See dun muoter enti bruoder ſtan ſtant, uze ſuobbendib.*
At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater me, & qui ſunt fratres mei?	*Enti aer ant uurta demo zauno zaimo ſprab, quad. b. Huuer iſt mın nuoter enti buuer ſintun mine bruoder.*
Et extendens manum in diſcipulos ſuos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.	*Enti rebbita ſina bant, ubar ſine iungirun quuat. See mım muoter enti mine bruoder.*
Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.	*So buuerſo aub in ernust uuillum uurchu mines fater, der in bimılum ist. Der iſt mım bruoder enti ſuester ioh moter.*
In illo die exiens Jeſus de domo ſedebat ſecus mare.	*In demo tage geru Jeſus uz ſona bus ſaz bi ſeuue.*

Pleraque ſorores graviter languiſſent) Morbum epidemicum fuiſſe, quo decubuerint Sanctimoniales Gandershemenſes facile colligas ex Annalibus Laureshamenſibus, qui indicant hyemem aſperrimam fuiſſe famemque & peſtilentiam per univerſam Galliam & Germaniam adeo graſſatam, ut pene tertia pars humani generis conſumta ſit.

Signum) h. e. campana. Medio enim ævo campanæ *ſigna* vocabantur, quia iis ſignum ad ſacra celebranda datur. V. Cangius.

Quod necdum Regiæ tuitioni commendatus eſſet) Poſt mortem Hathumodæ Abbatiſſæ & quidem *anno 877. VII. Kal. Febr. indict. X, anno primo Hludouuici in orientali Francia regnantis* Brun & Otto Comites, fratres Hathamodæ tradiderunt huic Ludovico juniori Monaſterium Gandersheimenſe, quod ille tunc in ſuam tuitionem recepit & immunitate donavit. Diploma authenticum in membrana exſtat in Archivis Monaſterii & inde publicatum eſt Tom. II. Scriptor. Brunſvic. pag. 372. Eodem anno & die idem Rex largitus eſt Cœnobio res proprietatis ſuæ in villa *Tenniſteti* & in villa *Heriki in pago Suthuringia, in Comitatu Ottonis*. Et hujus diplomatis authenticum in Tabulario Gandersheimenſi exſtat. Sigillum adhuc integrum eſt, & in circumferentia ejus legitur: ✠ XPE PROTEGE HLVDOICVM REGEM, uti ſpecimen æri inciſum & hic adjectum demonſtrat.

Columba) Moris erat, Reliquias ſanctorum venerationi deſtinatas vaſculo in modum *columbæ* formato includere. Columbæ etiam ad ſepulchra ſanctorum appendebantur, de quibus videri poterit Mabillonius Liturgiæ Gallicæ lib. I. c. 9. Edidit Ruinartus in Appendice ad Gregorium Turonenſem pag. 1317. ſqq. Teſtamentum perpetui Epiſcopi Turonenſis, in quo inter cætera legitur: *Eccleſiæ de Proillio calicem argenteum & urceos argenteos do, lego, ſimiliter & Amalario ibidem Presbytero capſulam unam communem de ſerico, item periſterium, & columbam argenteam ad repoſitorium, niſi maluerit Eccleſia mea illam, qua utitur eidem Amalario transmittere, meam retinere.* Ubi *Columba ad repoſitorium* exponi poteſt, columba ad tumulum ſuſpendenda, vel etiam, quod malim, columba, in qua ſanctæ reliquiæ reponuntur.

Presbyterum Wulfhardum) An hic eſt, qui poſtea Ludovici junioris Regis Cancellarius factus diplomata Gandershemio data recognovit ad vicem Liutberti Archicapellani? Theoderico Ep. Mindenſi anno 880. occiſo ſucceſſit, &, Necrologio Fuldenſi teſte, anno 886. obiit *Wolfheri Epiſcopus*. Annoto hoc, quia Chronica Mindenſia nil de eo proferre animadverto.

Marcquardus Epiſcopus) Annales Hildesbemenſes & Chronicon Eggehardi Uragienſis habent, Altfridum Epiſcopum anno 875. deceſſiſſe; fallere tamen eos Agius noſter evincit, qui jam anno 874. Marquardum Epiſcopum ſedentem nobis ſiſtit.

annis viginti duobus) Idem affirmat Roſvita canens:

Interea Chriſti virgo felix Hathumoda
Cum gregis undenos curam bis geſſerat annos
Ocius in Chriſto moriens tranſivit ad aſtra.

Facta itaque eſt Abbatiſſa anno 852. & quidem cum annum ætatis ageret decimum quintum.

Sanctus Baptiſta Johannes &c.) Notari meretur hic locus ob controverſiam de loco, ubi jam aſſervetur *caput S. Johannis*, peculiari & quidem eruditiſſimo libro tractata a Carolo Cangio. Agit hic de pluribus Capitis hujus translationibus, nec tamen de eo, quod Alexandriæ fuerit, quicquam profert. Papebrochius Tomo Junii IV. idem argumentum repetiit & illuſtravit. Profert is pag. 721. Epiſtolam Dionyſii Exigui ad Gaudentium Abbatem, in qua refertur, corporis quidem Reliquias, quas Agius noſter Edeſſæ reſtare dicit, Alexandriam translatas, ſed de Capite nihil addit.

Marci) Marci itaque Evangeliſtæ reliquiæ anno 874. adhuc Alexandriæ fuerunt. Quid igitur cogitandum de Translatione Corporis ejus Venetias, quam Dandulus in Chronico, Juſtinianus in Hiſtoria Veneta & Sigonius anno 820. factam affirmant, nixi fide Hiſtoriolæ, quam ex MSto Vaticano Baronius excerpſit, & Henſchenius ad 25. Aprilis p. 353. integram inſeruit? In fabulis illa cubet, neceſſe eſt. Multo minus verum erit, quod Martyrologium Pragenſe MStum habet, Marci corpus per Carolum M. Imp. translatum & in Monaſterio Augiæ majoris depoſitum fuiſſe. Hanoveræ inter Reliquias Brunſviga olim allatas, eſt machina argentea deaurata Operis Græci, in cujus medio Hierotheca ex auro ſolido comparet cum hac inſcriptione: ΛΙΨΑΝΟΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟΣ ΒΛΑΣΙΟΥ; & ſub S. Blaſii reliquia latet: POLLEX DE S. MARCO. Aliæ item Reliquiæ S. Marci ibidem duabus adhuc vicibus occurrunt.

Una ſoror) De hac & tribus fratribus in tenera ætate defunctis, alias nihil ſcivimus.

Enda ſoror) Neque hujus notitiam habuimus. Marito defuncto, a quo prolem habuit, illa ſupervixit usque in hæc tempora. Paulo inferius enim dicit:

- - - *vos quinque ſorores*
Illic divino dedidit obſequio.

Unde elucet eum de hactenus viventibus loqui, quæ erant, *Hathumoda* Abbatiſſa, *Luitgardis* Regina, *Gerberga* Abbatiſſa, *Chriſtina* Abbatiſſa, *Enda*. Quis Endæ maritus fuerit, ſi Agius prodidiſſet, magno nos beneficio affeciſſet. Interim in Saxonia eum Principem fuiſſe indicant verba cap. I. in Vita Hathumodæ extantia: *cæteri infra patriam, qui non majori gloria Chriſti ſervitio mancipati ſunt, ſecundum natalium dignitatem honeſtiſſimas nuptias ſortiti ſunt.* His enim non alios, quam Brunonem Ducem & Endam ſororem intelligere poteſt. Suſpicor ferme *Endam* conjugem fuiſſe Lotharii cujusdam, unde progeniti *Comites Stadenſes veteres*. Ditmari enim Merſburgenſis avus maternus *Henricus Ottonis M. conſanguineus* fuit, teſte Ditmaro pag. 35. qui idem hujus patrem facit *Lotharium* (pag. 6.), cujus avia *Enda* fuiſſe potuit. *Lotharium* ſive, quod idem eſt, *Liutharium Epiſcopum Mindenſem* anno 927. defunctum, ſecundum Necrologium Fuldenſe, Chronicon Laureshamenſe apud Freherum *nepotem Ottonis Regis* vocat, qui filius forte Endæ fuit.

Filiolum, quem Cœnobio &c.) Neque hujus filioli quisquam veterum meminit. unde juvenem defunctum crediderim. Aut, cum vox *nepotis* verſum non intraret, forte per *filiolum* intellexit Endæ filium, Ludolfi nepotem & forte etiam ex baptiſmate filiolum. Educatus is certe eſt in Monaſterio Laureshamenſi, cujus & Abbas deinde factus eſt & tandem Epiſcopus Mindenſis. V. Chronicon Laureshamenſe apud Freherum.

Gerberg) Gerberga in locum Hathumodæ Abbatiſſa Gandershemenſis conſtituta obiit an. 885. eique ſuffecta eſt ſoror *Chriſtina*, quæ anno 919. deceſſit. Ludolfi ergo Ducis hæc progenies fuit:

Bruno Angarius.

Ecbertus Dux Saxon. Occidentalis, &c.	Ludolfus Dux Saxoniæ Orientalis Ux Oda, filia Billungi & Ædæ.

Bruno Dux occiſus anno 880.	Otto Dux †. 912. Ux. Hadvigis filia Everhardi & Giſelæ Ludovico Pio natæ. †. 913.	Luitgardis Ludovici Regis junioris ux. †. 885.	N. N. N. N. tres filii & una filia tenelli obierunt.	Hathumoda Abbatiſſa Gandersh. †. 874.	Gerberga Abbat. Gand. †. 885.	Chriſtina Abbatiſſa Gandersh. †. 919.	Enda uxor N. Principis in Saxonia.

Otto Dux: Henricus Anceps Rex, pater Ottonis M. Imp. — Oda ux. Zwentiboldi Regis Lothar.

Oda ux. Zwentiboldi: Oda ſ. Benedicta. — Cæcilia ſ. Blitrudis.

Enda: N. — Lotharius Ep. Mindenſis †. 927. *nepos Ottonis M.*

N.: Lotharius Comes.

Lotharius Comes: Henricus Comes Stadenſis avus maternus Ditmari Epiſc. Merſburgenſis, *conſanguineus Ottonis M.*

II. IN-

II.

INCERTI AUTHORIS NARRATIO DE ELECTIONE LOTHARII IN IMPERATOREM ROMANUM.

Digitized by Google

IN curia nuper *Mogontiæ* celebrata quid dignum memoriâ geſtum fuerit, qualiter electio Regis proceſſerit, breviter cartæ mandavimus. Congregatis igitur hinc inde Principibus, Legatis ſcilicet Domni Apoſtolici, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, Clericis, Monachis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus cæteriſque Nobilibus, quot & quantos nulla tempore noſtro *Curia* ceperat, utpote quos non Imperialis, ut ante, poteſtas; ſed communis maximi negotii neceſſitas aſciverat. Prima die *Brixinenſis Electus*, diſcuſsâ electione ſuâ, & confirmatâ ab omnibus, ab Epiſcopis quampluribus in Epiſcopatum ſolenniter eſt ordinatus. *Saxonum* verò Principes ultra Renum diſpoſitis in ripa fluminis ſine numero caſtris, honorificè conſederunt, & ſupra eos *Liupoldus Marchio* cum *Duce Bawarico* cum magno militum collegio. *Dux* autem *Fridericus* adjuncto ſibi *Epiſcopo Baſilenſi*, cæteriſque *Sweviæ Principibus* ac quibuſque Nobilibus è regione ex altera Reni parte conſederant. Et facta ſeorſum Principum collectione non modicâ, utpote qui animum jam in regnum intenderat, & quaſi ſpe certa præoccupaverat, fingens timorem *Mogontinienſium* diſtulit ad Principum venire colloquium: & paratus in Regem eligi, ſed non in Regem eligere, priùs explorare volebat, quem ex omnibus Principum aſſenſus promovere pararet.

Convenientes igitur, præter ipſum & ſuos, omnes regni Principes gratiam ſancti Spiritûs hortatu Domini Cardinalis per antiphonam *Veni ſancte Spiritus* invocantes, primò decem ex ſingulis, *Bawariæ*, *Sweviæ*, *Franconiæ*, *Saxoniæ* provinciis Principes conſilio utiliores propoſuerunt, quorum electioni cæteri omnes aſſenſum præbere promiſerunt. Hi itaque tres ex omnibus tam divitiis, quàm virtute animi præſtantiores, ſcilicet *Ducem F.* (a) *Marchionem L.* (b) *Ducem Loth.* (c) in concione deſignantes, unum ex tribus, qui placeret omnibus, in Regem eligi perſuaſerunt. Abſente autem *Duce F.* reliqui duo, qui aderant, oblatum ſibi regii nomen imperii profuſis lacrimis, genibuſque terræ defixis humiliter renuebant. Hoc itaque magnum decus & memorabile, nec priùs auditum, jam noſtro tempore Dominus ſuæ conceſſit Eccleſiæ, ut laicorum ſcilicet illitteratorum humilitas ſanctiſſima oſtenderit in majoribus non ambiendis, quàm pernicioſè Clericorum & litteratorum in minoribus, magis tamen ſpiritalibus, ambitio damnoſa deliquerit. Porro *Dux F.* ambitione cæcatus, ſperans ſibi conſequenter reſervatum, & quaſi indubitanter conferendum, quod à duobus vidit humiliter refutatum; jam ſine conductu urbem; quam priùs cum conductu ingredi metuebat, ingreſſus eſt, & Principum conventui ſociatus, in Regem eligi paratus aſtabat. Surgens verò *Moguntinus Archiepiſcopus* conſultò requiſivit a tribus præfatis Principibus: utrum ſine contradictione, ſine retractione & invidia, ſinguli quoque tertio communiter a Principibus electo vellent obedire? Ad quæ verba *Dux Lotharius* ſicut & pridie, ne ipſe ullatenus eligeretur, humiliter expetiit, & eligendo cuicunque ſe ut Domino & Imperatori Romano obedire promiſit. Idem de ſe *Marchio Liupaldus* publice profeſſus, & regni ambitionem, & futuri Regis æmulationem ſacramento a ſe removere volebat. Requiſitus igitur *Dux F.* utrum ipſe quoque ſicut & cæteri, ad totius Eccleſiæ, regnique honorem, & liberæ electionis commendationem perpetuam, idem quod cæteri fecerant, facere vellet? ſine conſilio ſuorum in caſtris relictorum ſe reſpondere nec velle, nec poſſe aſſeruit: & quia ad ſe exaltandum Principum animos nequicquam unanimes uſquequaque perſenſit, conſilium ſuum & aſpectum curiæ jam exinde ſubtraxit. Videntes ergo Principes tantam Ducis ambitionem, tamque violentam quaſi debitæ ſibi poteſtatis exactionem, quam ante ſublimationem adeò efferri dominarique videbant, nequando ſibi præficeretur, unanimiter refellebant. Poſtera verò die congregatis in idipſum Principibus, cum abeſſet *Dux F.* & cum eo *Dux Bawaricus*; requiſivit *Moguntinus Archiepiſcopus*: utrum uterque nominatorum in electione Principum, qui aderant, refutata à ſe deſignatione præmiſſa, concorditer & benigne in eligen-

(a) Fridericum.
(b) Liupoldum.
(c) Lotharium.

eligenda quacunque perſona Principum voluntati vellent præbere conſenſum? quod humiliter & devotè ſimul utrique laudabant, & quaſi non amplius ſollicitandi, ſed de alio quopiam eligendo ſolliciti ſimul in una ſede conſidebant. Proindè cùm dimiſſis jam prænominatis Principes admonerentur, ut communicato conſilio diligenti ratione perſonam quærerent, quam ſecundùm Deum & honorem Eccleſiæ Regno præficerent, ſubitò à laicis quampluribus: *Lotharius Rex ſit*, clamor exoritur. *Lotharius* rapitur, *Lotharius* humeris imponitur, & regiis laudibus renitens ac reclamans extollitur.

Principes verò quamplurimi, maximeque *Bawaricæ Provinciæ Epiſcopi* rem tantam inconſultè & impetuoſè factam abhorrentes, & de ſedibus ſuis ſe perturbatos debita cum indignatione conquerentes, ab aliis irati ſecedere, & prorſus à curia infecto negotio recedere parabant. *Mogontinus* verò cum aliis quibusdam Principibus oſtium, ne quis egrederetur, vel ingrederetur, obſervari (a) præcepit; iſtis regem ſuum de intus concrepando circumferentibus illis ad laudem Regis, quem ignorabant, deforis cum ſummo clamore currentibus. Tandem cùm Principum diſſenſio jam eò usque procederet, ut & *Lotharius* de ſua comprehenſione vehementer iratus vindictam peteret, & Epiſcopi pro ſua diſturbatione dolentes erumpere quærerent; *Domnus Cardinalis* cæterique ſenioris (b) conſilii Principes tumultum illum vix tandem voce manuque ſedantes, univerſos ad ſedes ſuas conſiliumque redire perſecerant. Hic *Domnus Cardinalis* gratiâ Domini præventus Epiſcopos ſeorſium conveniens diſceſſionis culpam in ipſos graviter intorſit: & niſi ad pacem & concordiam & ipſi redirent, & alios minùs doctos ſua informatione reducerent, prædam, ſtrages, & incendia, & quæcunque mala per diſceſſionem hanc ſuboritura ipſis adſcripſit. Data demum opportunitate loquendi *Salzburgenſis Archiepiſcopus* cum *Epiſcopo Ratiſponenſi* pro ſe & honore regni honeſtiſſime differentes, ad concordiam partes transferre laborabant, & ſine *Duce Bawarico*, qui aberat, nihil de Rege ſe diffinire dicebant. Præterea de inconſulta raptorum vehementia, tam ſibi, quàm rapto pro majeſtatis honore non indebitæ graviſſimâ, debitam a primatibus juſtitiam exigebant. Unde factum eſt, ut præmiſſa debitæ ſatisfactionis humilitate redirent in gratiam, qui præcipitationis ſuæ culpâ concitavêre diſcordiam.

(a) ſobſervari.

(b) ſanioris.

Accito igitur *Duce Bawarico*, jam ſancti Spiritûs gratia ad unum idemque ſtudium animos omnium unire curabat, & unanimi conſenſu ac petitione Principum jam primùm *Lotharius Rex* Deo placitus ſublimatur in regnum. Concordantibus itaque in electione Regis univerſis regni Principibus, quid juris regiæ dignitatis Imperium, quid libertatis reginæ cæleſtis, id eſt, Eccleſiæ, ſacerdotium habere deberet, ſtabili ratione præſcribitur, & cœptus utrique honoris modus Spiritu ſancto dictante præfigitur. Habeat Eccleſia libertatem, quam ſemper optaverat: habeat & Regnum juſtam in omnibus potentiam, quam ſibi per Karitatem quæcunque ſunt Cæſaris ſine cæde ſubjiciat. Habeat Eccleſia liberam in ſpiritalibus electionem, nec regio metu extortam, nec præſentiâ Principis, ut ante, coartatam, vel ulla petitione reſtrictam: Habeat Imperatoria dignitas electum liberè, conſecratum canonicè, regalibus per ſceptrum, ſinè pretio tamen, inveſtire ſolenniter, & in fidei ſuæ ad juſti ſavoris obſequium (ſalvo quidem Ordinis ſui propoſito) ſacramentis obligare ſtabiliter. Denique *Rex L.* electus ab omnibus, expetitus ab omnibus ſequenti die in Principum concione conſedit. Et primò ab Epiſcopis univerſis, ſcilicet XXIV. qui tunc aderant, & Abbatibus quamplurimis pro Imperii reverentia, pro confirmanda Regni ac Sacerdotii unanimi concordia & pace perpetua fidelitatem non indebitam de more ſuſcepit; à nullo tamen ſpiritalium, ut moris erat, *hominum*, (c) vel accepit, vel coëgit. Deinde confluebant hinc inde Regni Principes, fidelitatem ſuam tam in hominio, quàm Sacramento Regi Domino firmaverunt, & debitum Regi honorem deferentes, quæ Regni fuerunt, à Rege ſuſceperunt. Videns

(c) *hominium*, h. e *homagium*.

dens itaque *Dux F*, contra Dominum non eſſe conſilium vel potentiam hominum, qui tot, tantorumque Principum animos contra ſpem omnium collegit in unum, tertia demum die, Ratisponenſis Epiſcopi cæterorumque Principum conſilio precibusque correctus ad curiam rediit: & ducentas marcas, quibus eum Rex priùs inbeneficiare promiſerat, ſatis honeſtè refutans, debitam Regi jam Domino ſuo reverentiam exhibuit, & cum eo ſic in gratiam & amicitiam tantò ſtabiliùs, quantò liberius rediit. Tandem compoſitis omnibus, Rex prædictus ſub Regiæ majeſtatis obtentu pacem firmam in omni Regno Teutonico usque ad Nativitatem Domini, & ab inde ad annum usquequaque communiter indixit: quam ſi quis infregerit, juxta cujusque provinciæ legem atque juſtitiam ſeveriſſimè vindictâ exſolvere debebit.

III.

FRAGMENTUM POEMATIS
IN
LAUDEM
HENRICI
COMITIS PALATINI
AD RHENUM
ANNO MCCIX. DECANTATI
AB
ANONYMO LOTHARINGO.

Digitized by Google

\- - - uncalmus thero ewigero aſſis.
Thiernum filius (benignus fautor mihi
Thaz ig iz coſan muozi)
De quodam Duce
Themo Heron Heinriche,
Qui cum dignitate
Thero Bejaro riche Bewaſoda.
  Intrans nempe nuntius
Then Keiſar namoda,
Herthas, cur ſedis, infit, Otdo,
Ther unſar Keiſar guodo
Hic - - adeſt Heinrich
Bruother, hera Kuniglich
Dignum tibi fore
Thit ſelve more.
  Tunc ſurrexit Otdo
Ther unſar Keiſar guodo
Perrexit illi obviam,
Iade vilo maniginan
Et excepit illum
Mit mihilon eron.
  Primitus quoque dixit:
Willicumo Heinrich!
Ambo vos æquivoci
Bethiu guoda endimi
Nec non & ſocii:
Wilicumo ſidi gi mi.
  Dato reſponſo ſone
Heinriche ſo ſcone
Conjunxere manus
Her leida ina in thas Godeshus.
Petierunt ambo
Thero godes genathemo.
  Oramine facto
Iut Siegena, aver Otdo
Duxit in concilium
Into michilon eron
Et amiſit illi,
So waz ſo her thar haſode
Præterquam regale
Ther thir Heinrich in gerode
  Tunc ſtetit al thiu
Sprackha ſub firmo Heinricho.
Quicquid Otdo fecit,
Al geried *iz* Heinrih,
Quicquid ac amiſit,
Ouch geried *iz* Heinricho.
  Hic non fuit ullus,
(Thes haſon ig guoda
Fulleiſt nobilis, ac literis
Thaz tid allaz war is)
Cui non feciſſet Heinrich
Allero rechto gilich - - - -

Tenebræ erunt eorum æterna merces.
Hic nunc filius (benignus fautor meus
Ut hoc dicam)
Cujusdam Ducis
Domini Henrici,
Qui cum dignitate
Regnum Bavariæ cuſtodivit.
  Intrans nempe nuntius
Imperatorem appellabat:
Prodi, cur ſedis, inſit, Otto,
Qui noſter bonus Imperator es.
Hic enim adeſt Henricus
Frater, Dominus regalis,
Ut dignus te fiat
Hoc ipſo more ſive modo.
  Tunc ſurrexit Otto
Noſter bonus Imperator,
Perrexit illi obviam
Cum multis miniſterialibus
Et excepit illum
Cum magno honore.
  Primitus quoque dixit:
Salve Henrice!
Ambo vos æquivoci
Ad hæc boni amici
Nec non & Socii,
Salvete mihi.
  Dato reſponſo ab
Henrico optimo
Conjunxere manus.
Ducebat ipſum in Eccleſiam.
Petierunt ambo
Dei gratiam.
  Oramine facto
Et benedictione, iterum Otto
Duxit in Concilium
Et magno honore,
Et commiſit illi
Quicquid ibi habebat,
Præterquam regalia,
Et quicquid Henricus ab ipſo deſiderabat.
  Tunc ſtetit omnis hæc
Lingua ſub firmo Henrico.
Quicquid Otto fecit,
Id omne placebat Henrico,
Quicquid ac commiſit
Etiam placebat Henrico.
  Hic non fuit ullus
(De hoc habeo bonum
Teſtimonium nobilis ac per litteras,
Quod hoc omne verum ſit)
Cui non procuraſſet Henricus
Plenariam juſtitiam - - - -

NOTÆ

NOTÆ
IN
POEMATION PRÆCEDENS.

FRagmentum hoc ex Codice membraoaceo Bibliothecæ Cantabrigienſis transmiſſum, conſcriptum eſt in Henrici Com. Palatini ad Rhenum laudes, quando Otto illi Regnum adminiſtrandum committeret & quidem in Comitiis Auguſtanis, cum in procinctu itineris Romani eſſet. Eo enim tempore rem hanc revera contigiſſe ex Cæſarii Heiſterbacenſis lib. I. de Miracul. c. 31. diſcimus, ubi: *Eo*, inquit, *tempore, quo Rex Otto profectus eſt Romam coronari in Imperatorem, imperium ſupra Moſellam fratri ſuo Henrico Palatino regendum commiſit.* Ex poëta quidem noſtro videtur concludi poſſe Ottonem fratri *omne regnum Germaniæ* adminiſtrandum commiſiſſe. Id enim conjicias ex verbis: *tunc ſtetit al thiu Sprackha ſub firmo Heinricho*, i. e. *tunc ſtetit univerſa lingua*, ſive omnis populus, *ſub firmo Henrico*; ſed Cæſarii narratio facit, ut hæc potius de *univerſo Lotharingiæ regno* Henrico commiſſo interpreter. *Imperium* certe ſupra Moſellam, Lotharingiæ regnum indicat clariſſime. Notatu dignum eſt cum Henrico Palatino adveniſſe ſimul potentiſſimum in regno Lotharingico Principem *Henricum Brabantiæ Ducem*, de quo Otto omnia ſibi bona promiſit, quia, ut *æquivocus*, hoc eſt, unius nominis cum Henrico, ita & *amicus intimus* & *ſocius* Henrici ab aliquo jam tempore fuerit. Hic enim ſenſus eſt verborum: *ambo vos æquivoci, bethiu guoda endimi, nec non & ſocii.* Socii autem fuerant in itinere ſacro in Terram Sanctam anno 1195. ſuſcepto, atque amicos intimos fuiſſe apparet ex eo, quod cum anno 1197. de Choruti deditione Saraceni cum Heurico Palatino tractarent, ille ante omnes alioa hoc cum Henrico Duce Brabantiæ communicaverit. Arnoldus Lubecenſis, qui expeditionem hanc crutiatam curatius deſcripſit, lib. V. c. 4. hac de re his inter cætera utitur verbis. *His dictis abit* [Henricus Palatinus] *& ÆQUIVOCO SUO, Duci videlicet Brabantiæ, qui ab omnibus Princeps ſuper exercitum ordinatus fuerat, voluntatem illorum aperuit.* Nos hæc eo libentius io medium attulimus, quia nullus hiſtoricorum meminit Henricos Palatioum & Ducem Brabantiæ Auguſtæ apud Ottonem, aut Palatinom *Proviſorem regni Lotharingici* ab eodem conſtitutom fuiſſe. Diſcimus etiam hinc Palatinum ad Rhenum, cujus ſedes Aquisgranum erat, in abſentia Regis vel Imperatoris tum quidem non in omni Germania ſuperiore, quæ jure Suevico utitur, Vicariam poteſtatem exercuiſſe; ſed tantum in ſuo, hoc eſt, Lotharingico regno; aliis regnis ſive Ducatibus ſuos peculiares *Palatinos* etiam habentibus.

Sed jam ad textum Poëmatii redimus. Mutilum illud eſt ab initio & verba: *unckal mus thera ewigero aſſis* mihi reſtituenda videntur: *dunckal mus dero ewigero as ſin.* *AS*, *ASNE merces* eſt veteribus. Vide Leges Brunſvicenſes cap. I. n. 37. Leges Cellenſes n. 19. & notata ad eas Ill. Leibnitii in Præfat. T. III. Script. Brunſv. n. XIX *aſa* in Codice Ulfilæ jam *meſſis* ſive quod recipimus ex agro, & ibidem *aſneis*, Anglo-Saxonibus vero *eſne*, mercenarius, ſervus, audit.

Thiernum) Infra *thier* eſt idem ac *dieſer*, hic. unde pro illo *num* vel Germanicum *nun* vel Latinum *nunc* ponendum exiſtimo. Cum enim neſcio quod elogium Henrici Palatini præmiſiſſet Poëta, nunc ad patrem ejus *Henricum Leonem* Ducem Bavariæ & Saxoniæ tranſit & tandem exponit, quomodo hujus filius Henricus Palatinus proviſor regni Lotharingici in ſolenni procerum Concilio conſtitutus ſit a fratre Ottone.

Notandum eſt in verbo *muozi* tunc adbuc pro exprimendo noſtri *u* ſono, ſemper additum fuiſſe huic vocali *o*; poſtea eadem ſuper literam *u* poſita eſt hoc modo *ů*; tandem vero in Rumana ſcriptura plane neglectum eſt *o*, in vulgari vero tranſiit in Signum ' vel ' quod adhuc Germanice ſcribentes noſtro *u* imponimus; quanquam &, ſi negligatur, illud pronuntiationem noſtri *u* non variet. Sed olim, quando *u* ſine *o* poneretur, illud ut *y* vel *ii* enunciabatur, unde in Poëta noſtro mox *duce* & Heinriche rhythmum faciunt; *duce* nimirum olim non aliter ac ſi *dyce* ſcriptum fuiſſet, elatu, ut Franco-Galli adhuc conſueverunt.

Bejaro) Beyern, Bavarorum.

Bejaro riche) nota Bavariam hic *regnum* vocari, veteri more. Sic Ditmarus Lib. II. Ratisbonam *Bavarici regni caput* nominat. *Regnum Saxonum* quoque in Annalibus Hildeshemenſibus & alibi occurrit.

Bewaſoda) *Weſen* eſt *procurare*; unde in Saxonia ſuperiore *Verweſer* eſt, qui nobis *Verwalter* dicitur, *rei dominicæ procurator*.

Namoda) nomine ſuo vocabat ſive alloquebatur. *Namen* hodie *nennen* & Saxonice *naemen* effertur, & *nominare* deſignat.

Herthus) legendum *Herrhus* hodie *herraus*, particula, qua *exi, i foras, prodi*, exprimimus.

Hie - - - adeſt) ſuppleo: *Hic nam adeſt.*

Inde) inferius *int* & *into* ſcribitur, & eſt noſtrum *und*, Lat. *&*.

Man) *Man* hodie in genere *virum* denotat, olim autem ſpeciatim pro *miniſteriali ingenuo* ſive etiam pro *ingenuo feudali nexu alteri obligato* ſive *vaſallo* adhibitum eſt. *Homo* eodem ſenſu apud Latino-Barbaros occurrit, & inde *hominium* & *homagium* eſt *juramentum fidelitatis*.

Mihilon) pro *Michilon* veteres literæ *h* jam *c* ineſſe putabant, unde ſemper fere ſimplici *h* pro *ch* utebantur. *Michel* de cætero, eſt *magnus* & conſonat cum Græco μέγας.

Willicumo) *Wilkommen*, beneveneritis, Gall. *bienvenu*. *Wi* hic pro *wol* euphoniæ gratia ponitur.

Ambo vos) Cum prius fratrem ſolum allocutus eſſet Otto, jam ſermonem ad duos *æquivocos* ſive *Henricos* convertit. Et cum alterum *ſocium* & *amicum* Henrici Palatini nominet, non alius, quam *Henricus Dux Brabantiæ* intelligi poteſt, in quem, ut vidimus, hæc nomina & res etiam optime quadrant.

Bethiu) Veteres per *bethiu* & *bithiu*, quia, propterea, quidem, reddunt; ſed aliquando &, Gaſſaro teſte, *ad hoc etiam*, exponitur & hæc princeps quidem particulæ ſignificatio eſſe videtur. Componitur enim ex *be*, *bey*, ad, & *thiu*, *diſe*, hæc.

Endimi) corruptum ex Latino *intimi* ſc. amici.

Sidi gi mi) videtur author hæc verba, ut ab Ottone dialecto Saxonica & quidem ſpeciatim Brunſuicenſi prolata erant, poſuiſſe. *Sidi*, *ſid* eſt Germ. *ſeyet*, i. e. *eſtis* vel *ſitis* a *ſeyn*, eſſe; *Gi* vel *ji* eſt Germ. *ihr*, vos. *Mi* Brunſuicenſibus adhuc pro Germ. *mir*, mihi, uſurpatur, cum alii Saxones ejus loco *mek* & *mik* dicant.

her) *Er*, ipſe.

Leida) leitete, ducebat.

Siegena) *Segen*, benedictione. Derivatur vox a *Signo* ſc. crucis; unde apud poëtam noſtrum ea origini ſuæ conformius ſcribitur, quam apud nos hodie pronunciatur.

amiſit) Legendum omnino *commiſit* & hic & paulo poſt.

So waz ſo) omne quod.

Thar) ibi, id eſt, in regno Lotharingiæ.

Hafode) hatte, habebat. *Haben*, habere, Saxonice effertur *hæffen*, Danis *haffue*, Isl. *hafa*, Angl. *haue*, Belg. *hebben*. Et Imperfectum noſtrum contractum eſt ex *habote* obſoleto.

Regale) *Regalia*, veluti *monetam*, *teloneum*, *pedaticum*, *portus*, *Comitatus* & ſimilia, ut Radevicus Lib. III. c. 41. declarat.

in gerode) *ab illo deſiderabat*. *Geren*, pro quo nos hodie *begeren* eſt *deſiderare*.

al thiu ſprackha) omnis hæc lingua. *Sprache*, lingua, pro *populo*, *gente*, *natione* uſurpatur. Quoniam autem de *hac lingua* loquitur, inde concludo, verſificem Lotharingum fuiſſe.

geried) Quid hoc verbi ſit, neſcio. Senſus tamen indicat, debere idem eſſe ac Gall. *aggreer*, acceptum habere, & forte, ex antiquato *gréer*, (unde *gré*, beneplacitum reſtat) corruptum eſt a noſtris hominibus.

hafon) *habe*, habeo.

Fulleiſt) In Gloſſis Lipſianis *fulluſt* exponitur *auxilium* & *folleiſten*, opitulari. In Colloquio Chriſti cum Samaritana vers. 52. *volliſte* pro *adjutorio* uſurpatur. In juramento Populi Ludovico & Carolo fratribus præſtito apud Nithardum Lib. III. Gallicum *adiudha* h. e. *auxilium*, Germanice redditur *folluſti*, & Mylius in Archæologo Teutone annotat eandem vocem hoc ſignificatu adhuc Geldris & Clivenſibus uſitatiſſimam eſſe. Hoc loco adhibetur pro *adjumento veritatis* ſive *teſtimonio*.

Fulleiſt nobilis ac litteris) *Teſtimonium nobilis viri ac per litteras*. Inde apparet, Poëtam non interfuiſſe concilio ſive Comitiis Auguſtanis, ſed ea quæ ſcripſit, ex nobili viro, qui præſens fuerat, & ex litteris ea de re confectis, hauſiſſe & in ſcripta redegiſſe, eo tempore, quo Otto jam in Imperatorem coronatus eſſet: unde quoque eum *Keyſer* ſive *Imperatorem* ubique appellat.

tid) Sax. *düt*, Germ. *dieſes*, hoc.

IV.

CANTICA ALIQVOT
SECVLI XI.

Digitized by Google

I.

In Ottones I. II. & III. Impp.

MAgnus *Cæſar Otto*, quem hic nodus refert,
in nomine *Otdine* dictus, quadam nocte
Somno membra dum collocat, palatium caſu ſubito inflammatur.
Stant miniſtri regis, timent dormientem attingere, & cordarum pulſu factum excitatum ſalſificant & domini nomen carmini imponebant.
Excitatus ſpes ſuis ſurrexit, timor magnus adverſis mox venturus, nam tunc fama volitat Vngarios ſigna in eum extuliſſe.
Juxta litus ſedebant armati, urbes, agros, villas vaſtant late, matres plorant filios, & filii patres undique exulari.
Hæc quis ego, dixerat Otto, videor partis, diu milites tardus moneo fruſtra, dum ego demoror, creſcit clades ſemper, ergo moras rumpite & Parthicis mecum obviate.
Dux Cuonrad intrepidus, quo non fortior alter, miles, inquit, pereat, quem hoc terreat bellum, arma induit, armis inſtant hoſtes, ipſe ego ſignifer effudero primum ſanguinem inimicum.
His incenſi bella fremunt, arma poſcunt, hoſtes vocant, ſigna ſequuntur, cantus tubis clamor paſſim ortus, & milibus centum Teutones immiſcentur.
Pauci cedunt plures cadunt, Francus inſtat Parthus fugit vulgus exangue undis obſtat, litus rubens ſanguine Danubio cladem Parthicam oſtendebat.
Parva manu cæſis Parthis, ante & poſt ſæpe victor communem cunctis movens luctum, nomen, regnum, optimos, hæreditans mores filio obdormivit.
Adoleſcens poſt hunc Otto imperavit, multis annis Cæſar, juſtus, clemens, fortis; unum modo defuit, nam inclitis raro prœliis triumphabat.
Ejus autem clara proles, Otto decus juventutis, ut fortis, felix erat, arma quos nunquam militum domuerant, fama nominis ſatis vicit.
Bello fortis, pace potens, in utroque tamen mitis, inter triumphum bello pacem, ſemper ſuos pauperes reſpexerat, inde pater pauperum fertur.
Finem demus modo, ne forte notemus ingenii culpa, tantorum virtutes ultra quicquam deterere, quas denique miro inclitus vix æquaret.

II.

In obitum Heinrici Imp. II.

LAmentemur noſtra ſocii peccata, lamentemur quare tacemus,
pro iniquitate corruimus late,
ſcimus cæli hinc offenſum Regem immenſum.
Heinrico requiem, Rex Chriſte, dona perennem,
non fuimus digni munere inſigni;
munus ſive donum dive Heinricum bonum
qui ex juventute magnæ fuit vitæ
procreatus Regum ſtirpe Rex ſit & ipſe Heinricus.
Orbus erat pignus regno fuit dignus
imperator Romanorum Rex Francorum
imperabat Suevis Saxonibus cunctis
baunaros trucet ſola vos fecit pacatos. Heinrico

Poſ-

Poſſumus mirari de Domino tali
res tractando laicatus ſic litteratus
prudens in ſermone providus in opere
viduarum tutor bonus orphanis pius. Heinrico
Heinricus ſecundus, plangat illum mundus
fines ſervans Chriſtianos pellit paganos
ſtravit adverſantes pacem perſequentes
voluntati contradixit ſobrie vixit. Heinrico.
Quis Cæſar tam largus fuit pauperibus
quis tam loca ſublimavit atque dicavit
atria ſanctorum ubere bonorum
ex propriis fecit magnificavit Epiſcopatum. Heinr.
Ploret hunc Europa jam decapitata
advocatum Roma ploret Chriſtum exoret
ut ſibi fidelem præſtet ſeniorem
ſe cognoſcat grave dampnum Eccleſiarum. Heinr.
Dicamus Heinrico Domini amico
ut quieſcat poſt obitum ſemper in ævum.
Dicat omnis clerus animæ illius
pace Chriſti quieſcat gaudia noſcat. Heinrico.

III.
In eundem.

JUdex ſummæ mediæ rationis & infimæ, magne Rector cœli pie redemptor ſeculi Imperatoris Heinrici catholici magni ac pacifici beatifica animam Chriſte.

Qui heu paucis annis rexit ſummam imperii, ſciens modum juris rebus cunctis mediocris, Imperatoris

Vultu claro monſtravit cordis clementiam, clerum probum pro poſſe ſemper lætificans. Imperatoris.

Summo niſu catholicas auxit eccleſias ſubvenit pupillis clemens ac viduis. Imperat.

Gentes ſuo plurimas ſæpius imperio ſubdit barbaricas, hoſtes civiles ſtrenue animi conſilio vicit non gladio. Imperat.

Juvit dominum ſumma vivit & demiſſa regni potentia mundi gazas tribuit, ſic cœli divitias uti promeruit. Imperat.

Heu o Roma cum Italia, caput mundi, quantum decus perdideras heu o Franci heu Bawari veſtrum damnum nulli conſtat incognitum Mons Bavonis nimis felix, ſerva Chriſto Regi pignus intrepidum, Hoc angelica poſcit gloria, apoſtolicus poſcit ordo prælucidus, Hoc æterna virgo Maria finem mundi poſcit beari, dicant omnes precor fideles regem regum nunc deprecantes. Imperatoris.

Audi mentis melos interrogamus athanatos ſic te vocis noſtræ collaudabunt ſimphoniæ. Imperat.

IV.
In Conradum Salicum Imp.

GRatuletur omnis caro Chriſto nato Domino,
qui pro culpa protoplaſti carnem noſtram induit,

ut ſalvaret quod plasmavit Dei ſapientia,
caute cane caute cane conſpira Karole.

Melos cuncti concinnantes, gratiarum actiones ſolvimus aciem qui noſtræ mentis roboravit ad cernendum ſummi patris coæternum verbum per quod cuncta reſtaurantur & reguntur elementa, cujus bonitate atque dono ſalutem haurimus.

Vocet laudis humanæ curis carneis raucæ non divinæ majeſtati tantum ſufficiunt, quæ angelicam ſibi militiam in excelſis pſallere ſanctam juſſit ſymphoniam, hic non variam mundi diſcordiam ſe movendo concordare fecit harmoniam.

Qui imperium confirmando Romanum ſuos agnos fonte lotos a luporum morſibus pia pace cuſtodivit,

Hos Cuonradus pius unctus Domini, jam defendit imperando, quem providentiæ Dei præclara prædeſtinavit & elegit regere gentes ſtrenue Davidis exemplo Meſſiæque triumpho:

Ortus avorum ſtemmate Regum per Junioris gradus ætatis proficiebat Regiis moribus & factis, ut probavit eventus,

Viro fortis & fidelis paſſus plures mundi labores, propinquorum cauſas & amicorum haud ſecus ergo ſuas deſideravit juvare pro poſſibilitate.

Pater ut ſuum nutrit natum, nunc adolando nunc flagellando, tempeſtates mundi per varias Chriſtus hunc probavit ut didiciſſet prona pietatis ſcala condeſcendere reis.

Poſt Heinrici mortem omni deflendam gregi Catholicorum, hunc Rex Regum fidem Eccleſiarum juſſit fore patronum.

Hunc Romani principatus cuncti mox elegere ſibi fidei defenſorem & propugnatorem fortem orthodoxorum.

Gaudent omes circumquaque gentes gratias Chriſto dantes, qui viduarum atque pupillorum audit voces ſuorum

Age, gaude Roma, urbium domna eum conſenſu cleri devoto, te Cuonradi præcepto ſubdi, qui non tantum ſuas, ſed affective omnium ſubditorum quærit utilitates.

Ad hæc publicarum Princlpi rerum, & privatæ dediti vitæ jure tenti familiari vitam & ſalutem, imperatori noſtro poſcite Cuonrado Chriſto Dei electo.

Laus ſit Regi ſeculorum patri, nato, pneumati ſancto, cui ſoli manet imperium honor & poteſtas, quem angelorum laudes bonorum & voces laudant rite per ævum.

V.

In obitum Conradi Sal. Imp.

1. QUi vocem habet ſerenam, hanc proferat cantilenam
De anno lamentabili & damno ineffabili
Dolet omnis homo, forinſecus & in domo
Suſpirat populus dominum, vigilando & per ſomnum
Rex Deus, vivos tuere, & defunctis miſerere.

2. Anno quoque milleſimo nono atque triceſimo,
De Chriſti nativitate nobilitas ruit late
Ruit Cæſar caput mundi, & cum illo plures ſummi
Occubuit Imperator Cunradus, legum amator,
Rex Deus, vivos tuere, & defunctis miſerere.

3. Eo-

3. Eodem vero tempore occaſus fuit gloriæ,
Ruit ſtella matutina Gunnild regina,
Heu quam crudelis annus, corruerat Herimannus
Filius imperatricis, Dux timendus inimicis
Ruit Kuono Dux Francorum, & magna pars ingenuorum,
Rex Deus, vivos tuere, & defunctis miſerere.
4. Imperatoris gloria ſit nobis in memoria,
Ac frequentiore mentione, vivat vir indolis bonæ.
Vivat dominator probus & frequenti carmine novus,
Et præclara fama poſt mortem, vitæ præſtet hunc conſortem,
Rex Deus, vivos tuere, defunctis miſerere.
5. Regum ſanguine genitus, omnes præcellit penitus
Glorioſus in perſona, pulcher ſub ſua corona,
Sceptrum, regnum, imperium, nulli erat plus congruum
Rempublicam honeſtavit, hujus cauſa laboravit.
Rex Deus, vivos tuere, defunctis miſerere.
6. Poſtquam replevit Franciam, per pacis abundantiam
Mitigavit Alemannos & omnes regni tyrannos,
Saxonibus & Noricis impoſuit fræna legis
Vidit ſua magnalia probabilis Italia.
Rex Deus, vivos tuere, defunctis miſerere.
7. Roma ſubjecit ſe primum a ſummo usque ad imum,
Experti ſunt Ravennates in bello ſuo primates,
Sentiebant Veronenſes invicti Cæſaris enſes,
Heſperia ſe proſtravit, imperanti ſupplicavit.
Rex Deus, vivos tuere, defunctis miſerere.
8. Reverſus Alemanniam invenerat calumniam,
Quam hic diſſipavit Cæſar ut ventus pulveris inſtar,
Omnes ſimul perierunt, qui prædatores fuerunt,
Et cives præſtantiſſimi id circo facti exulari.
Rex Deus, vivos tuere, defunctis miſerere.
9. Nil moratus Imperator pacis ubicunque dator,
Bellum intulit paganis ne noceret Chriſtianis,
Non defendit eos palus, nulla fuit aquis ſalus,
Bene coercebat Sclavos, Barbaros, & omnes pravos.
Rex Deus, vivos tuere, defunctis miſerere.

VI.

In coronationem Henrici III. Imp. vivo adhuc Conrado patre.

O Rex regum, qui ſolus in ævum
regnas in cœlis, Heinricum nobis ſerva, in terris ab inimicis
Quem voluiſti Tibi benedici, & coronari ad Aquas grani
manu Piligrini Præſulis archi. O Rex regum
Quem Romani atque fidi Franci, clerus & populus Chriſto dicatus
poſt Cuonradum adoptavit domnum. O Rex
Dic Italia, dic pia Gallia cum Germania Deo devota
vivat Cuonradus atque Heinricus. O Rex
Agni ut ſponſa pace quieta ſervare ſuo valeat ſponſo.
Deo æterno vivo & vero. O Rex

Gaudent omnes Chriſti fideles ſenes & juvenes matres & infantes
regnet Cuonradus gaudeat mundus. O Rex
Poſtumus anni ret . . . accepit ſanctam regni Coronam
puer Heinricus Chriſto electus,
Die prædicto a Piligrino archiepiſcopo ſibi devotisſimo,
gaudente clero ſimul atque populo. O Rex
Doleat antiquus gentis inimicus ſanctas Eccleſias pacificatas
vivo Cuonrado atque Heinrico. O Rex
Mater Chriſti cum civibus cœli cunctisque ſanctis, rectores orbis,
juva Cuonradum atque Heinricum. O Rex
Vt eccleſiarum cauſas ſanctarum & pupillarum ac viduarum
valeant juſto tractare judicio. O Rex
Laus Creatori angelorum regi, cujus imperium manet in ævum
per infinita ſeculorum ſecula. O Rex.

VII.

De Herigero Archiepiſcopo Moguntino.

Heriges urbis Maguntiacenſis
Antiſtes, quendam vidit prophetam,
qui ad infernum ſe dixit raptum,
Inde cum multas referret cauſas,
ſubjunxit totum eſſe infernum
accinctum denſis undique ſilvis.
Heriges illi ridens reſpondit,
meum ſubulcum illuc ad paſtum
nolo cum macris mittere porcis.
Vir, ait, falſus fui translatus
in templum cœli Chriſtumque vidi
lætum ſedentem & comedentem,
Johannes Baptiſta erat pincerna
& præclara pocula vini
porrexit cunctis vocatis ſanctis,
Heriges ait, prudenter egit,
Chriſtus Johannem ponens pincernam,
quoniam vinum non bibit unquam,
Mendax probaris cum Petrum dicis
illuc magiſtrum eſſe cocorum,
eſt quia ſummi janitor cœli
Honore quali te Deus cœli
habuit ibi, ubi ſediſti
volo ut narres quid manducaſſes:
Reſpondit homo angulo uno
partem pulmonis furabar cocis,
hoc manducavi atque receſſi,
Heriges illum juſſit ad palum
loris ligari ſcopisque cædi,
ſermone duro hunc arguendo:
Si te ad ſuum invitet paſtum
Chriſtus, ut ſecum capias cibum,
cave ne furtum facias.

VIII.

VIII.

In Heribertum Archiepiſcopum Colonienſem.

QUi principium conſtas rerum fave noſtris piis cœptis atque mentis plectrum rege precamus rex regum,

Pater, nate, ſpiritus ſancte, te laudamus ore corde quivis vitæ ſiti fragili.

Immortales cœli cives pia prece nos mortales jam concives veſtros commendate redemtori. Pater.

Fibris cordis, caute tentis, melos concinnamus partim triſtes partim lætas cauſas præclamantes, de paſtore pio ac patrono Heriberto. Pater.

Quem ætate juvenili Deus prælegit ſibi ſervum valde fidum bona ſuper pauca, ſuper multa tandem miniſtrum conſtituendum. Pater.

Mane ætatis puer bonæ indolis, ſarculo verbi vinea Chriſti lubens ſtuduit ſciens ſibi tandem denarii præmia dari, ſcalis ſublatus fit cancellarius Imperatoris.

Omnium morum ſpeculum bonorum, placuit clero ſimul & populo mitis atque pius, omni egenti largus centus ſui tiro fortis Chriſti, pollens omni Karitate ſcandit dextram notæ viam Phitagoræ. Pater.

Poſt non magnum temporis curriculum, ſummo pontifice largiente, miles domini ſublimari meruit in ſedem pontificalem, tunc ſibi ſubditus clerus & populus vivere patronum optant pium, cui Chriſto talem auxit honorem, ovis & ovilis ſibi commiſſi, belli tempore longo non pateretur pene, damna rerum nec ullum excidium, ſed ſummi paſtoris ſub quiete congaudentes vocem ſanctam audierunt. Pa.

Circumquaque miniſtravit Eccleſiis magno ſumptu, tempeſtate bellicoſa tunc temporis devaſtatis, ſeveritatem facie triſtem monſtrans, lætum toto corde ſprevit mundum, pectore pio jugem compasſiones gerit omni mala mundi patienti. Pa.

Adventantes longe plures conſolatus peregrinos, inceſſanter alimenta pauperibus erogavit, fovit infirmos atque veſtivit nudos, munia divina complens rite cuncta, tantum vacans vitæ comtemplativæ, ſanxit cunctis ſe virtutum ornamentis. Pa.

Augens demum cumulum bonorum, ſummæ ſanctitatis rexit templum ſanctæ Dei genitrici ſpecioſum rheni littore ſitum, in quo defunctam carnis ſuæ ſanctam juſſit condere glebam, uti reſurrectionis diem magnum ac tremendum hic ſecure expectaret, Pater.

Poſtquam mundus fuerat indignus tantum cernere donum, Chriſtus plura loco ſuæ ſepulturæ fecerat ſigna, ſui ad honorem nominis ſancti & ut magis ſanctam confirmaret fidem, præmia daturum ſe in cœlis propter eum hic in terris laboranti. Pa.

O cunctipotens mundum regens finis rerum creatarum omnem finem noſtrum fac finiri in te ſolum. Pater.

INDEX RERUM ET VERBORUM ITEMQVE AUCTORUM CITATORUM.

A.

Addila nomen idem cum illo *Odilia*. 31
Addila Abbatiſſa Hervordienſis ex Ida & Ecberto nata. 31. Warini Abbatis Novæ Corbejæ, & Ludolfi Ducis ſoror, ac Hathumodæ amita. 9. 31. 33. 41. Progenuit Bovones Abbates Corbejenſes. 32. Vidua regimen Monaſterii Herivordienſis ſuſcepit. ibid. Senio confecta Abbatiam reſignavit. 33
Adjudba auxilium. 52
Æda Billuogi Comitis uxor & Hathumodæ avia. 35. ejus ſuaſu monaſterium Gandershemenſe extructum. 34
Agil nominis expoſitio. 27. Germanice apud veteres illud *Wibonis* ſive *Wichberti* nomen denotat. ibid.
Agius Benedictinus, qui fuit Wichbertus Epiſcopus Hildeshemenſis. 27. Medicæ artis peritus. ibid. Vitam Hathumodæ magna ex parte novit. 3. 27. ejus Dialogus de obitu S. Hathumodæ. 13. ſqq. ſomnium illius ſingulare. 25.
Agnelli *(Andrea)* Liber Pontificialis, ſeu vitæ Pontificum Ravennatum, ex editione Benedicti Bacchinii. 36
Amalungus, Amaluuio, & Amaluuious unum nomen. 35
Amalungus Saxo, Bennithi & Billungi pater. 34. in Francorum numerum aulæque Proceres receptus. 35. a Carolo M. ad Witichindum miſſus. ibid.
Alciati *(Andrea)* Encomium Hiſtoriæ. 27
Altſaxones, qui 33. 42.
S. Anaſtaſii Papæ corpus Gandershemium translatum. 4. 28
S. Andreæ corpus ubi aſſervetur. 19
Annales Francici veteres a Quercetano & Labbeo editi. 29
Corbejenſes a Leibnitio editi. 27. 32
Fuldenſes. 36. 41
Hildeshemenſes. 43. 51
Laureshamenſes. 35. 40. 45
Loiſeliani. 29. 35
Metenſes. 29. 39. 40
Saxonici inediti. 28. 40. 41
Witechindi vid. Witechindus
Anonymi Translatio S. Bathildis Reginæ. 32
Translatio S. Puſinnæ ap. Leibnit. 29. 31. 32
Translatio S. Viti. 30
Vita Caroli M. 35
Narratio de Electione Lotharii Imp. 46. ſqq.
Lotharingi Fragmentum poëmatis in laudem Henrici Comitis Palatini. 50
Arnoldi Lubecenſis Supplementum ad Helmoldi Chronicon Slavorum ex editione Henrici Bangerti, item ap. Reineccium & Leibnitium. 51
Arnulfi cognatus Berengarius Imp. 36
As, *asne*, merces
Aſa meſſis.
Aſchaffenburgi nuptiæ Luitgardis ſororis Hathumodæ celebratæ. 41
Aſtronomi geſta Ludovici Pii, ap. Reuberum & du Chesne. 40
Audags, beatus, benedictus, dives. 35
Aventini *(Joh.)* Annales Bojorum, editore Nicolao Ciſnero. 41

B.

Barbari immerito ab Andrea Alciato vocati ſunt Saxones ac Weſtphali, litterarum elegantiorum conſervatores. 27
S. Bartholomæi corpus ubi aſſervetur? 19
Begeren, deſiderare. 52
Benedicti Abbatis Anianenſis Concordia Regularum & Ordo Monaſticæ converſationis. 35
Benedictæ nomen apud Germanos veteres exprimit illud *Oda*. 35
Bejaro, Beyern, Bavarorum. 51
Bejaro riche, Bavariæ regnum, veteri more. 51
Benno, *Bennicho* & *Bennith* ex Bernhardus contractum. 34
Benſonii *(Thomæ)* Vocabularium Anglo-Saxon. 42
Berengarii Imperatoris ortus 36. ſine fundamento a Doctiſſ. Imhofio pro Longobardo habitus. 40. ſtemma Berengarii explicatum. 39. 40
Berengarianus Poëta. 36
Bernardi Pipini fratris uxores. 30. Bernardus Theodradæ pater. 30. 31. 34
Berno idem cum *Brunone* Angariorum Duce. 29
Bethiu quid denotet? 52
Bewaſoda quid? 51
Bibliorum Codex Theotiſcus. 41. 42
Billinganorum Origines ab Amalungo ſive Amaluuione Caroli M. Miſſo & Comite Saxonico. 34. 35. ipſorum veteres poſſeſſiones ubi ſitæ. ibid.
Blitrudis nomen Latine redditum *Cæcilia*. 27. 35
Bodonis *(Henrici)* Syntagma Gandersheimenſe ap. Leibnitium. 28. 29
Bothonis *(Conradi)* Chronicon Saxonicum Picturatum. 28. 29. 36
Bovo Abbas Corbejenſis Addilæ pronepos. 32
Bovo, qui Græcas literas Conrado Regi prælegit. ib.
Brittonum ſeditio quando contigerit? 29
Bruno Archiepiſcopus Colonienſis. 27
Brunonis Angarii pater Cobbo. 34. Bruno Angariæ Dux, an Ludolfi Saxoniæ Ducis pater? 28. 29. 33. Witichindi ſocer. 29
Bruno frater Hathumodæ absq; liberis deceſſit. 41
Brunteshuſenſe monaſterium Gandershemium delatum. 28
Broweri *(Chriſtophori)* Antiquitates Fuldenſes. 34. 36. Ejusd. Vita B. Meinwerci Epiſcop. Paderb. cum notis Adolphi Overham. 42
Bucceti ſive Du Bouchet Veritable origine de la maiſon Royale de France. 30. 36. 41

C.

Cæcilia nominis expoſitio. 35
Cæcilia Zuentebaldi Lotharingiæ Regis & Odæ Ottone Saxoniæ Duce natæ filia, revera *Blitrudis* dicta. 35
Cæſarii Heiſterbacenſis liber de Miraculis. 51
Campanæ medio ævo *ſigna* dicta. 43
Sieur Du Cange *(Charles du Freſne)* Traité Hiſtorique du Chef de S. Jean Baptiſte, ſeu liber de Controverſia ubi jam aſſervetur Caput S. Johannis. 44
Cantica in Imperatores Ottones, Henricum II. Conradum Salicum &c. 52. ſqq.

Caroli M. ex familia S. Gertrudis ortus. 29
Caroli Calvi avia materna Hegilwigis, Welfonis uxor. 32
Caroli Craſſi conſanguineus & cognatus Berengarius Imp. 36
Du Cheſne (*Andr.*) Sciptores Hiſtoriæ Franciciæ. vid. Quercetanus.
Chriſtianiſmi in Saxonia prima initia 30.34.35.41.42
Chriſtina Hathumodæ ſoror Abbatiſſa conſtituta. 27
Chronicon breve S. Galli 28
Hildeshemenſe ap. Leiboitium. 27
Laureshamenſe ap. Freherum. 44
Ciſonienſis monaſterii fundatrix Giſela, Everhardi Comitis & Marchionis Forojulienſis uxor. 36
Cobbo Dux Saxoniæ occidentalis Ludolfi Saxoniæ Orientalis Ducis frater. 33. 34
Cobbo Comes, Hadvigis Abbatiſſæ Herivord. frater. 31. 32. 33.
Colloquium Chriſti cum Samarithana a Lambecio editum & a Stadenio ſuppletum. 52
Columba, in qua Reliquiæ Sanctorum aſſervatæ. 43
Comitis & *Ducis* titulus promiſcue ſumtus. 36
Corbeja nova in Saxonia ab Adelardo erecta. 30
Cova nomen idem quod *Cobbæ* vel *Cobbonis*. 34
Cruſii (Jacobi Andreæ) Witikindus. 41

D.

Dacherii (*Lucæ*) Spicilegium veterum Scriptorum. 36. 37. Ejusd. & Joh. Mabillonii Acta Sanctorum Benedictinorum. 35. 40
Dandoli (*Andr.*) Chronicon. 44
Dedda nomen ex *Theodoricus* contractum. 30
Dedda Waltgeri Comitis pater. 30. 34. num idem ſit cum Theoderico Saxone? 30
Ditmari Epiſc. Merſpurgenſis Chronicon, ap Reineccium, Maderum, & Leibnitium. 36. 44
Ducis & *Comitis* titulus promiſcue ſumtus. 36
Diit, Germ. *dieſes*, hoc.

E.

Eadig benedictus, fortunatus, dives. 35
Ecbertus Comes, Ludolfi Saxoniæ Orientalis Ducis pater. 29. 33. Saxonibus Rhenum inter & Viſurgim habitantibus a Carolo M. præfectus. 29. Ipſius ſoror Hegilwigis, avia Caroli Calvi. 32
Eccardi (*Jo. Georg.*) ſtemma Deſiderianum. 40
Eggehardi Uragienſis Chonicon. 43
Egilmari Epiſcopi Oſnabrugenſis Querela. 31
Electio Lotharii ex MSto Monaſterii Gottwicenſis. 46
Enda ſoror Hathumodæ. 23. 41. 44
Erdmanni (*Ertwini*) Chronicon Oſnabrugenſe. 31. 33.
Eruditi ſeculi præſertim noni, nomina Germanica in Latina aut Græca mutarunt. 27
Erne, mercenarius, ſervus. 52
Euticus, Abbas cum *Benedicto* Abbate Anianenſi unus idemque. 35
Evangelicæ hiſtoriæ poëticè conſcriptæ Codex MStus Bibliothecæ Cottonianæ. 42. etiam Würtzborgi inventus. ibid.
Everhardi Carmen de Fundatione Gandersheimenſi. 28
Everhardi Comitis & Marchionis Forojulienſis Teſtamentum. 38. 39. mors ipſius quando contigerit. 39. 40.

F.

Filiolos pro nepote. 23
Folleiſten, opitulari. 52
Folcardi Miracula S. Bertini. 40
Frodoardi Hiſtoria Remenſis. 39. 40
Fuldenſe Necrologium 36. 41. 43. 44
Fulleiſt, adjumentum veritatis, teſtimonium. 52
Fulluſt, auxilium 52

G.

S. Galli chronicon breve. 28
Galliarum ſeditio. 29
Gandersheimenſis monaſterii præfectura Hathumodæ delata. 4. modus vivendi in hoc parthenone. ib. ejus inſtitutio cui debeatur. 28. Ludovici junioris tuitioni traditum. 43
Gaſſari Gloſſarium Ottfridinum. 52
Gerardi Abbatis Vita. 40
Gerberga, ſoror Hathumodæ, Abbatiſſa conſtituta. 26. 44
Geren, deſiderare. 52
Gerhardi Vita S. Adelardi. 30
Geried, Gall. *aggreer* acceptum habere. 52
Geva nomen non diverſum ab illo *Gerbergæ*. 29
Geva uxor Witechindi. 29
Gi vel *ji*. vos. 52
Giſela Caroli Calvi ſoror. 36. Everhardi Comitis & Marchionis Forojulienſis uxor ib. Berengarium Imp. progenuit. ib. Ejus Chartæ tres. 36. 37
Gloſſæ Lipſianæ. 52
Gobelinus Perſona, vide *Perſona*.
S. Gregorii Turonenſis Opera omnia ex recenſione Theodorici Ruinarti Benedictini. 43
Guillimanni (*Franciſci*) Epiſcopi Argentoratenſes. 30
Gundlinda Adalberti Ducis filia num Abbatiſſa fuerit? 32

H.

H apud veteres quomodo lectum? 52
Habitus Sanctimonialium Hathumodæ qualis fuerit. 4
Hadvigis Abbatiſſa Hervordienſis, Warini Abbatis ex ſorore neptis. 31. ubi inſtituta. 32. quomodo tertio & quarto cognationis gradu Carolo Calvo juncta. 32. 33
Haſode quid denotet. 52
Hardradi ſeditio. 29
Harmonia Evangeliorum Cottoniana MSta, a Badurado Epiſcopo Paderbornenſi, aut certe ejus conſilio confecta. 42. In Angliam opus transportavit Johannes Altſaxo, Abbas Athelingienſis factus. ib.
Haſala ex *Giſela* corruptum. 29
Haſala conjux Bernonis ſeu Brunonis Ducis Angariorum. 29
Hathomarus primus Epiſcopus Paderbornenſis. in pueritia obſes factus, & Würtzburgi a Carolo Imp. ſervari juſſus. 42
Hathumodæ ampliſſimi Natales. 3. 24. ejus pater Ludolfus Saxoniæ Dux. 3. 27. mater Oda dicta ex Francorum proſapia. 3. 34. avia Æda. 35. ſtemma maternum. ib. quo anno nata. 41. ubi educata. ib. quando Abbatiſſa facta. 41. 44. egregia in pueritia pietatis, & eruditionis ſtudia. 4. 41. in perſcrutandis Divinis Scripturis ejus ſedulitas, ac ſolertia. 5. 6. Vita communis, modeſtia in ſermone victu, veſtitu. 4. 5. hoſpitalitas ejus, ac reliquarum virtutum recenſio. 4. 5. 6. Viſiones ac ſomnia illius. 6. 7. 8. pietas erga matrem & Agium. 9. 27. Pſalmodia ejus jugis. 10. Gerbergæ ſorori viſionem narrare cupiens. 8. 9. quinque illius ſorores quomodo vocatæ. 8. 22. 44. Soror Luitgardis Regina. 3. 21. 41. 44. Otto Dux ejus frater. 3. 36. fratres tres in tenera ætate demortui. 23. 44. Colloquia ejus ante obitum. 6. 10. 25. quando mortua. 41. 43. 44. mortis tempus ipſi in ſo-

mno

mno oſtenſum. 7. morienti Marquardus Epiſcopus Hildesh. Agius Medicus ac Wulfthardus confeſſionarius interfuerunt. 3. 6. 11. 13. 25. 27. ſepultura illius cum incredibili omnium ordinum luctu peracta. 11.
Hegilwigis, Hedewigis & *Hadwigis* vel *Hathui*, unum idemque nomen. 32. 37. 39
Henr. Auceps recte a quibusdam dictus eſt ortus ex regio Francorum genere, per matrem oempe. 40
Henrico Comiti Palatino ab Ottone IV. Imp. in Comitiis Auguſtanis adminiſtratio Regni commiſſa. 5. 7. quod ſaltem de univerſo Lotharingiæ regno intelligendum. ibid.
Henricus Brabantiæ Dux ſimul cum Henrico Palatino Auguſtæ ab Ottone Proviſor regni Lotharingici conſtitutus. 51. dicitur ſocius & amicus Henrici Palatini. 51. 52
Hickeſii *(Georgii)* Theſaurus linguarum veterum Septentrionalium. 42
Hildegardis Sueva avia Caroli Calvi paterna. 32
Hirzfeldia hereditaria ſucceſſione a Ludolfo Comite poſſeſſa. 33. ibi in Eccleſia penes S. Idam ſepultus Ludolfi Sax. Docis filiolus. ibid.
Hirzfeldiæ ad Lupiam Baſilica ab Egberto conſtructa. 29.
Hominium & *Homagium*, juramentum fidelitatis 51
Homo pro *vaſallo* adhibitum. 51

I.

S. Jacobi ubi aſſerventur. 19
Ida uxor Ecberti. 29. 30. ejos ortus ex familiis S. Gertrudis & S. Odiliæ. 30. 31. filia Theodorici Ducis Ripuarii. 30. 34
Idonis Translatio S. Liborii. 42
Im-hofii *(Jac. Wilh.)* Hiſtoria Italiæ & Hiſpaniæ Genealogica. 40
Informatio puerorum ſec. IX. rudis. 41
S. Innocentii Papæ corpus in Saxon. delatum. 4. 28
Int & *into* quid ſignificet? 51
S. Johannis Baptiſtæ corpus ubi aſſervetur. 19. 44. ubi cultus. 19. de ejus capite Alexandriæ ſervato notabilis locus. 44
Johannis Vita S. Odonis Cluniacenſis. 35
Johannes Altſaxo ab Alfredo Rege accerſitus, & Abbas Ætbelingienſis factus 42
Iperii Chronicon S. Bertini. 40
Judæ & Simonis reliquiæ: 19
Junii *(Franc.)* Gloſſarium Gothicum. 35
Juſtioiani *(Petri)* Hiſtoria rerum Venetarum. 44

K.

Kalenſis monaſterii Abbatiſſa Hegilwigis, Ecberti Ducis ſoror. 32

L.

Leges Brunſviceoſes, ap. Leibnitium. 51
Leges Cellenſes ibid.
Leibnitii *(Godofredi Guilielmi)* Scriptores rerum Brunſvicenſium. 27. 28. 41. 43. 51
Leida quid deootet. 52
Lenckfeldii *(Joh. Georg)* Antiquitates Gandersheimenſes. 41
Liberi Ecberti & Idæ; 31
Librorum lectio Odæ matri Hathumodæ admodum grata. 9. 41
Lipſii *(Juſti)* Commentarius in Tacitum. 27
Lotharii Imperatoris agnati. 31
S. Lucæ corpus ubi quieſcat. 19
Lucarda vel Luitgarda an Arnulfi Imp. filia, & Ottoni Hathumodæ fratri nupta. 36
Ludolfus Saxoniæ Dux Hathumodæ pater. 27. ejus ortus. 28. 29. Ducatus dignitas ipſi a Ludovico Germanico collata. ibid. Brunonis nepos. 29. filius Ecberti Ducis. 33. ejus ſtemma paternum. 34. reliqua ejus progenies. 44. avus Cobbo, tempore Bonifacii. 33. 34. Ludolfus quando Romam profectus. 23. 28. 41. ejus mors. 23. viſiones. 24
Ludovicus Pius Ludolfum conſtituit Comitem. 33
Ludovicus Germanicus Ludolfum conſtituit Saxoniæ orientalis Ducem. ibid.
Luitgardis ſoror Hathumodæ Ludovico juniori Regi juncta. 41. ejus dotalitium Aſchaffenburgum. ibid.
Lutherus *(Martin.)* in Canticis Germanicis quæ primus obſervarit. 42

M.

Mabillonii *(Joh.)* Liturgia Gallica. 43. Ejusd. & Lucæ D'Achery Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti. 20. 35. 40. 42
Man, vir, pro *ingenuo feudali nexu alteri obligato* olim adhibitum. 51
S. Marci Evangeliſtæ reliquiæ. 19. 44. an ejus corpus ſeculo IX. Veoetias tranſlatum ſit, dubitatur. 44
Marquardus Epiſcopus Hildeshem. morienti Hathumodæ præſens. 11. 27. ejus ſorores instruxit. 23. 27. quando Epiſcopus factus. 43
S. Martinus ſingulari cultu ab Hathumoda honoratus & ſæpius cooſpectus. 7. 8
Martyrologium Pragenſe MStum. 44
S. Matthæus ubi ſepultus. 19
Meibomii (Henr.) Scriptores rerum Germanicarum. 27. 31
Meinwerci Epiſc. Vita ap. Browerum & Leibnitium. 42
Mi pro Germ. *mir*, it. *mek* & *mik*, mihi. 52
Mibilon, quid ſignificet. 51
Miræi *(Auberti)* rerum Belgicarum Chronicon. 35. Ejusdem Codex Donationum piarum. 37. Ejusd. Notitia Eccleſiarum Belgii 40
Monachos ac Moniales primum in Saxoniam quis introduxerit? 30
Monaſteriorum ſeculi noni ſtatus. 41
Mylii *(Abraham)* Archæologus Teuto. 52

N.

Namen, nominare. 51
Necrologium Fuldenſe. 36. 41. 43. 44
Nennen, nominare, 51
Nithardus de Diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii, apud Jo. Schilterum, Petr. Pithœum & Andr. du Chesne. 52
Nominum Germanicorum apud eruditos immutatio ſeculo præſertim nono. 27

O.

Oda nomen Latine redditum *Benedicta*. 35.
Oda Hathumodæ mater & uxor Ludolfi Ducis. 34. Billingana fuit. ib. quomodo ex Francis orta. 34. 35. librorum lectio ipſi grata. 41
Oda, Ottonis Ducis filia, & Zuentebaldi Regis Lotharingiæ uxor. 35
Odeg & *Otag*, beatus, benedictus, fortunatus. 35
S. Odiliæ Vita. 31
Opitii *(Martini)* poëſeos laus. 42
Otfridi Evangelia Francica. 42
Otto Dux Hathumodæ frater. 3. 36. ejus uxor Hadvigis, filia Everhardi Forojulienſis March. & Giſelæ Ludovico Pio natæ. 39
Ottonianæ familiæ cum Berengarii connexio. 36

P.

Paderbornenſis Eccleſiæ initia cui debeantur, 42
Pagus Bardengau. 25
Sutturingia. 41
Paltbenii *(Joh. Philippi)* editio Harmoniæ Evangeliorum Tatiani. 42

Papebrochii (*Daniel & ſociorum*) Acta Sanctorum. 44
Paſchaſii (Ratberti) Vita S. Walæ. 30. Ejusdem liber de Fide, ſpe & caritate. 41
Paullini (*Chriſt. Franc.*) Syntagma rerum & antiquitatum Germanicarum. 30. Ejusd. Vita B. Walgeri. ibid.
Petrum cum Paulo Roma tenet. 19
Petrus Dresdenſis carminum hybridorum non eſt primus author. Præfat.
Perſonæ (*Gobelini*) Cosmodromium. 41
Pezius (maxime R. P. Bernard.) 41. 42
Philippi reliquiæ ubi aſſerventur. 19
Piſtorii (*Joannis*) Scriptores rerum Germanicarum Præf.
Poeſi S. IX. imprimis clara Rosvita. 41
Poeſeos Seculi undecimi genius Præf. 55. ſqq.
Poëta Saxo anonymus. 27. 29. 35
Poetica veterum Germanorum. 42. 55. ſqq.
Poetica Scripturæ Sacræ tranſlatio a Saxone. 41. Poeticæ illius tranſlationis pars fuit Harmonia Evangeliorum quæ Londini in Cottoniana Bibliotheca aſſervatur, & etiam Würzburgi extat. ibid. A Badurado Epiſcopo Paderbornenſi confecta videtur. ibid. Quis in Angliam opus hanc transportarit. ibid.
Protoplaſti qua ætate ex Agis mente creati fuerint? 19
S. Puſinnæ tranſlatio, ap. Leibnitium. 29. 31. 32

Q

Quantitatem ſyllabarum &c. in Canticis Germanicis quis primus obſervaverit? 41
Quercetani (*Andr.*) Hiſtoriæ Francorum ſcriptores. 40. 41

R.

Rabani Mauri Gloſſarium MStum. 27
Radevicus de geſtis Frid. I. Imp. ap. Urſtiſium. 52
Ratherii Epiſc. Veronenſ. liber de arte Grammatica, ſub titulo *Sparadorſi*. 41
Regale quid? 52
Reginonis abbatis Prumienſis Chronicon apud Piſtorium. 36
Regis Romanorum titulus quando ortus. 28
Reliquias Sanctorum apud veteres ſervandi modus. 43
Roſwitæ Carmen de Conſtructione Cœnobii Gandersheimenſis ap. Meibomium & Leibnitium. 27. 28. 34. 41. 43
Ruinarti (*Theodorici*) Gregorius Turonenſis. 43

S.

Sammarthanorum ſive de Sainthe-Marthe (*Scævolæ & Lud.*) Hiſtoire Genealogique de la Maiſon de France. 36
Sanctimonialium primum in Saxonia monaſterium Herivordienſe. 33. Gandersheimenſium vivendi ratio. 4. nonnullarum Sec. IX. ſtudia. 44
Schatenii (*Nicolai*) Annales Paderbornenſes. 30. 31. 33.
Scriptura ſacra jam Sec. IX. in vulgarem linguam converſa. 41. tranſlatio Scripturæ S poetica. 41. 42. ſtrictioris tranſlationis ſpecimen. 42. 43
Segen, benedictio. 52
Sergii Papæ literæ. 28
Siegena quid ibid.
Signum pro campana. 43
Sigebertus Gemblacenſis, apud Piſtorium. 41
Sigonii (*Caroli*) Hiſtoria de Regno Italiæ. 44
Sparadorſi & *ſparacli* expoſitio. 41
Sparen, parcere. ibid.
Sprache, lingua, quid porro ſignificet. 52
Stadenſes Comites veteres unde progeniti. 44
S. Stephanus ubi ſepultus. 19
Swala B. Waltgeri Comitis unica filia. 30

T.

Taciti Annales in monaſterio Corbejenſi conſervati. 27. à Leone X. Pontifice redemti. ibid.
Tatiani Harmonia Evangeliorum quando in linguam Theotiſcam tranſlata. 42.
Tetta ex Theodrada contractum. 30
Tetta vel Theodrada prima Herivordenſis cœnobii Abbatiſſa. 30. 31
Thar, ibi 52
Theganus de geſtis Ludovici Pii. 32. 40
Theodericus Dux Ripuar. pater Idæ 30
Theodrada uxor Theod. Ducis Rip. & mater S. Idæ. 30. 31. 33
S. Thomas ubi quieſcat. 19
Tid, *deſet* hoc. 52
Traditiones Fuldenſes MStæ. 34. 35
Tranſlatio S. Bathildis Reginæ. 32
Tranſlatio S. Puſinnæ, vid. *S. Puſinna*.

V.

U quomodo olim pronunciatum. 51
Valeſii (*Hadriani*) Notæ ad Panegyriſten Berengarii. 40
Velamen ſacrum ab Hathumoda in Parthenone Herfordenſi ſuſceptum. 4
Venerabilis Titulus cui proprius. 33
Verweſer item *Verwalter*, rei domeſticæ procurator. 51
Uffingi Monachi Werthinenſis Acta S. Idæ. 29. 30. 33
Ughelli (*Ferd.*) Italia Sacra. 41
Vignierii (*Nicol.*) Alſatica, ſive, La veritable Origine des maiſons d'Alſace, de Lorraine, d'Autriche, de Bade &c. avec les tables Genealogiques. 31
S. Viti Tranſlatio. 30
Vittea vox quid ſignificet? 42
Uldaricus idem cum Walderico. 30
Ulfilæ Codex Evangeliorum Argenteus. 51
Vuliſte, adjutorium. 52
Urſpergenſis Abbatis (Conradi a Lichtenaw) Chronicon cum Casp. Hedionis paralipomenis. 40

W.

Wala nomen ex illo *Walderici* contractum. 30
Waltgerus Comes, Herivord. cœnobii dotator. 30. ejus familia. ibid.
Warinus Abbas Corbejæ Novæ, Idæ & Ecberti Ducis filius. 31. Ludovici pii propinquus. 32. 33
Weibe, ſanctus, 27
Welfus Bavarus natione, Caroli Calvi avus maternus. 38
Weſen, procurare. 52
Wichberti nominis expoſitio. 27
Wichbertus & *Agius* autor vitæ Hathumodæ, una eademque perſona. 27. monachus medica arte & varia eruditione apud Corbejenſes clarus fuit. ibid. in Epiſc. Hildesh. promotus. ibid.
Wigandi Vita B. Waltgeri. 30. 31
Wib quid denotet! 27
Wiho vel *Wigo* ex *Wicberti* nomine contractum. ib.
Wilthemii (*Alexandri*) Diptychon Leodienſe. 35
Willicumo, quid! 52
Witte, intellectus. 42
Witechindus hiſtoricus. 27. 31. 32. 33. 41
Wulfhardus Epiſcopus Mindenſis, Cancellarius Ludovici jun. & Hathumodæ familiaris ac Confeſſionarius 8. 27. 43. ægrotanti ac morienti Hathumodæ adfuit. 8. 27

Z.

Zuentedebaldi Regis Lotharingiæ filiæ *Benedicta* & *Cecilia*, Abbatiſſæ Suſterenſes. 35

SPHALMATA quæ irrepſerunt, correcta.

Pag 27. lin. 15. *quod* l. *quo*. Ibid. lin. 39. *wibicla* l. *wibida*. p. 31. lin 17. *demonſtrabit* l. *demonſtravit*. p. 33. lin. 58. *juvaſſe* l. *juviſſe*. p. 35 l. 36. *Celiciæ* l. *Cæciliæ*. p 41. lin. 8. *Sorotem* l. *Sororem*. p. 42. lin. 57. *iro, brinnun* l *iro rinnun*. Ib. lin. 58. *ſe bear* l. *ſee bear*. Ib. lin. 60. *arriſit, in* l. *arriſit in*. Ib. lin. 63. *brarrem* l. *brorren* p. 43. lin. 12. *uz argen git* l. *uzargen-git*. Ib. lin. 2. *ſletun* l. *ſletim*. Ib. lin. 3. *fuebbit* l. *fuabbit*. Ib. lin. 4. *quui dit* l. *quuidit*. Ib. lin. ead. *buuir ſu* l. *buuirſu*. Ib. lin ead. *gu bomann* l. *qubomun*. Ib. lin. 6. *bet mon.* l. *beſmon*. Ib. lin ead. *ga ſconit* l. *gaſconit*. p. 43. lin. 7. *ga balot* l. *gabalot*. Ib. lin. 8. *mitmna unir ſirun* l. *mit imo nuirſirun*. Ib. lin. 9. *in gante* l. *ingante*. Ib lin. ead. *uuer dant* l. *uuerdant*. Ib. lin. 10. *aſtrun, des* l. *aſtrun des*. Ib. lin ead. *eri rom* l *erirom*. p. 43. lin. 13. *In nan din* l. *Innandin*. Ib. lin. 14. *bruoter, fluontun, uze* l. *bruoter fluontun uze*. Ib. lin. 15. *funga ſprabbi* l *fun gaſprabbi*. Ib. lin. 16. *unu* l. *imo*. p. 43 lin. 16. *em buuelib.* l *einbuuelib*, Ib. lin. 17. *flant, uze* l. *flant uze*. Ib. lin. 19. *Zauna* deleatur. Ib. lin. 20. *quad b.* l. *quadb.* Ib. lin. 25. *nuillum* l. *nuillun*. Ib. lin. 26. *iſt Der* l. *iſt, der*. Ib. lin. 28. *genu* l. *genc*. Ib. lin. ead. *fona* l. *fono*.

1.4.237

- controllo collazione;
- restauro carta (rammendo piega, imbrachettatura, sutura di strappi e lacune): carta giapponeee Vang 517, veline giapponesi Vang 502, 508, e 561, adese con Tyloes MH300p al 6%;
- ricomposizione fascicoli;
- prssatura tra cartoni, sotto pressa a colpo;
- preparazione fogli di guardia struttura "F" in Ingres Vang 20231 e pelle uovo;
- looee guard in carta giapponese Vang 517;
- cucitura piena su 4 nervi di canapa eingoli: fili di lino inglese, cords di pura canapa a 5 capi;
- preparazions piatti: cartone fibrato nel vsrso, cartoncino LC Fabriano; scarnitura dei cartoni a smuseare gli spigoli ed agevolare lo snodo;
- incartonatura: foratura con punteruolo, secondo ordine di fori sfaleato vereo il piede; scodelle eseguite con sgorbia; infilatura nsrvi;
- passaggio in colla dsl doreo: Tylose MH300p rimossa a spugna;
- stondatura del doreo;
- capitelli base naturali passanti al centro fascicoli e sotto catenella: anima in canapa, fili lino inglsse ritorto;
- capitslli ornati: cuciti su capitslli base in cotone ritorto fiorentino, doppi;
- indorsatura: caselle in carta giapponess Vang 517, adeee al dorso con Tylose MH300p 6%; caselle in cuoio naturale adeguatamente scarnito, adess su giapponsse;
- preparazione della pelle: scarnitura a coltello di bordi s cuffie; pelle di capra a concia mieta;
- copertura: adseione dslla pelle prsparata con TyloeeMH 300p;
- staffilatura dei nervi;
- compensazione dsi contropiatti al rimbooco della pelle con oartoncino LCFabriano;
- inoaesatura delle controguardie a piatti apsrti: Tylose MH300p al 6%

luglio 1998

BIBLOS
Firenze

05630928